*MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80039-4*

MICROFILMED 1991

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:
CLEMENT, LOUIS

TITLE:
DE ADRIANI TURNEBI

PLACE:
PARISIIS

DATE:
1899

Master Negative #
91-80039-4

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

878T85
DC

Clément, Louis, 1858-
De Adriani Turnebi...praefationibus et poematis.
Thesim...proponebat L. Clément. Parisiis, apud A. Picart, 1899.
152 p.

Thesis, Paris,
Bibliography: p. [131]-141.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm
REDUCTION RATIO: 11
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 6-13-91
INITIALS M.B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

878T85 DC

Columbia University
in the City of New York
Library

Special Fund
1899
Given anonymously

DE

ADRIANI TURNEBI

REGII PROFESSORIS

PRÆFATIONIBUS ET POEMATIS

MACON, PROTAT FRÈRES, IMPRIMEURS

COLUMBIA
UNIVERSITY
LIBRARY

DE

ADRIANI TURNEBI

REGII PROFESSORIS

PRÆFATIONIBUS ET POEMATIS

THESIM

FACULTATI LITTERARUM IN UNIVERSITATE PARISIENSI

PROPONEBAT

L. CLÉMENT

PARISIIS
APUD A. PICARD ET FILIUM
82, VIA BONAPARTE, 82

1899

JOANNIS CLEMENTIS

IN UNIVERSITATIS LYCEIS OLIM PROVISORIS

VX. MR.

HOC OPUSCULUM FILIUS

D. D. D.

JAN 15 1900 Lemcke & Büchner. 64 £ 52

281887

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARY

PROOEMIUM

Adriani Turnebi præfationes cum poematis eodem argumento conjuncturus, rei propositæ certam rationem præferam. Namque primum Turnebus, ut inter æquales doctissimi grammatici famam adeptus est, neque in Græcis Latinisve interpretandis quemquam fere sibi parem habuit, ita poetarum qui illo tempore latine scripserunt, unus optimorum dictus fuit; epistolis etiam oratione soluta conditis idem innotuit.

At enim quotusquisque nostrum istiusmodi ficticia carmina legit, quibus vernaculæ linguæ monumenta quælibet anteponat? quis recentiorem aut recentissimam latinitatem non respuit? quod si te Latinorum poetica nimirum delectant, Maronem deliba vel Flaccum, nedum imitatores in manibus teneas.

Equidem concedo id omnibus qui latine sive carmina sive solutam orationem XVI sæculo protulerunt, vitium crimini jure vertendum, scilicet hos exoletam, immo jamdudum exstinctam linguam usurpantes sibi cum antiquis Italiæ scriptoribus certamen impar suscepisse; maxime vero poetas, quamvis politos et elegantes, auctore Petro Ronsardo, damnandos [1]. Sed multum abest ut eidem perlegendi nullam tibi jucunditatem, nullam utilitatem tot versuum aut epistolarum aut præfationum copia collecta conferant, si modo sæculi memoriam insectatus eris : hi testes erunt quibuscum et

1. Vide apud Ronsardum : « *Préface de la Franciade* ». (*Édit. Blanchemain*, t. III, p. 35).

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARY

rerum colorem hominumque figuram penitus introspicies. Quid quod de gallicis etiam scriptoribus multa novaque latini percunctantem docebunt?

Adrianum autem Turnebum constat eam in illo Regii Collegii veluti theatro tuitum esse personam ut inter magistratus amplissimus quisque, inter litteris deditos præclarissimus illi faveret, illum necessarium haberet. Neque prorsus antiquitatis studium ac veneratio mentem ejus occupatam adeo tenebat ut æqualium opera despiceret; quanquam, si Stephano Pascasio credimus, latinæ linguæ gallicam longe cedere Turnebus jusserat, « tempus et chartam perdere » professus eos qui suas commentationes vernaculo sermone traderent; istum enim, nimis incompositum et humilem, quotidiano convictui congruere, nedum elatioribus disciplinis et artibus dignus judicaretur [1]. Quibus verbis a Pascasio relatis etsi non occurri, dum Adrianum perlego, simillima tamen quædam præfatio mihi præbuit, ubi Margaritæ Valesiæ Theophrasti de odoribus libellum a se ipso translatum offerens hæc addit : « Quando latina lingua in religione et disciplinis nobis prope vernacula est, traduxi et latine, ut potui, expressi [2]. »

Quidquid enim græce conscriptum esset, id legentium turbæ veluti « peregrinum » videri solere sentiens, latinum sermonem auxilio vocabat, ut græcarum litterarum participes via quasi deflexa quamplurimos faceret; neque profecto Amyoto, Selvio, Henrico Stephano gallicam linguam eodem consilio usurpantibus annuebat. Inde factum est ut quos Turnebus « typis regiis » græcos libros edidisset, eos sæpius latine converterit [3]; cujus exemplum Dionysium Lambinum sequentem videmus, qui postea in Regio Collegio « græcarum litterarum interpretis » munere et titulo donatus est [4].

Qui vero vulgaribus linguis graviores disciplinas, philosophiam

1. V. Pascasii ad Adr. Turnebum gallice scriptam epistolam, anno 1552. (*Lettres de Pasquier*, édit. 1621, t. I, p. 6.)
2. *Adr. Turnebi opera*, t. II, p. 5 et 6.
3. Vide Turnebi operum indicem quem ad hujus opusculi calcem retuli.
4. « Dionysii Lambini Monstroliensis litterarum græcarum jampridem doctoris Regii, nuperrime earundem litterarum etiam interpretis a Regia majestate facti, oratio ad VII id. nov. habita, pridie quam librum III Aristotelis de Rep. optime administr. explicaret... etc. » Lutetiæ, 1570 ; apud Joan. Bene Natum.

videlicet aut historiam, exponendas non concedebat, poesis tamen eisdem lenocinia permittens, gallicos poetas elevari haud æquo animo tulit ; quin immo Pleiadis nostræ laudem toto pectore fovit et amplexus est. Hoc etiam de Turnebo Leodegarius a Quercu commemoravit illum vernacula lingua versus nonnullos condidisse ; his illum, « cum gravia studia remisisset », se reficere solitum « in Querculano [1] sub opacis cerasis cum amico lusitantem ». At lusus « non venerunt in propatulum [2] » ; quorum jacturam equidem non desidero, illis contentus carminibus quibus neque ingenii lepos neque rerum novitas defuit.

Etenim veterem Romanorum satiram recentioribus argumentis Turnebus aptavit, ut humaniores litteras ab invidorum maleficiis defenderet ; res etiam publicas suis versibus attigit, sive patriæ gloriam cum majore dicendi copia concelebrat, sive civitatem pessumdatam acerrime corripit ; dumque temporis historiam nos edocet, nonnulla de se ipso retulit, e quibus egregii viri mentem sinceram, et, ut ita dicam, intimum pectus deprehendemus.

Hoc sane vitæ curriculum peregit quod umbratilibus studiis addictum modestumque magistrum decebat ; quare vitam ejus tenebis, si libros quos edidit, prælectiones quas e cathedra fecit, enumeraveris. Mihi vero nutiquam in animo fuit quidquid a Turnebo conditum est, in hoc opusculo complecti ; vires enim me defecissent si quos in vulgus emisit aut e græco in latinum sermonem transtulit aut notis enucleavit, utriusque linguæ priscos auctores aggressus essem. Verum præfationes quarum alias suis editionibus præfixit, alias ante discipulos ipse pronuntiavit, mei ipsius juris esse censui. Ut enim variam jucundamque rerum atque sententiarum materiem præbent, ita sæpius in his eadem argumenta atque in illis carminibus occurrunt. His et bonarum artium defensionem Adrianus commisit ; his etiam quid de Deo, quid de optima religionis forma sentiret, fusius interdum quam in versibus expressit ; quanquam et præfationibus vel explanandis vel supplendis carmina nonnunquam advocanda sunt. Inde fit ut hinc et illinc mutua

1. In villa quadam de possessoris « a Quercu » nomine nuncupata.
2. *Adr. Turnebi opera*, t. III, p. 100. (Oratio funebris de vita Turnebi.)

quasi luce scriptoris judicium et sensus illustrari videatur. Adde quod in his epistolis sive latino sive græco sermone conscriptis sæpius, ut in versibus, de Regio Collegio, de patronis et amicis mentionem fecit.

Quæ cum res ita se habeat, non poetæ tantum, sed, ut utramque illius ingenii facultatem uno verbo complectar, scriptoris vestigia insecuturus sum. Huic autem accidit ut grammatici laudes tot tantisque probatas operibus posteri tantum meminerint; præfationes ejusdem et carmina pæne omnino neglexerint [1]. Grammaticum quidem forsitan alius olim occupabit qui Turnebianas editiones accurate descriptas perpendet, divitiasque in illis « Adversariis » inclusas perscrutabitur et expromet. Verum mihi satis erit si « regii professoris » et poetæ, viri denique veram imaginem informavisse visus ero.

Præter Adriani Turnebi libros quibus interdum usi sumus, duæ sunt editiones ad quas legentem quæque pagina nostra vocabit : una poematum, Parisiis anno 1580 pervulgata ; altera « operum » anno 1600, Argentorati [2]. Ceterum alii nostræ disquisitionis fontes in appendice reperientur. His jam difficultatibus occurrimus quod res aut homines scriptor nonnunquam significavit quibus nomina propria certaque non apponeret ; neque editiones quibus poematum silva, Turnebo jam defuncto, collecta fuit, magno mihi fuerunt auxilio ; quippe quibus interpretatio nulla fere sit addita. Quas autem suorum carminum partes Turnebus ipse publicavit, has eo commodiores haud negaverim quod emendatiorem scripturam et editionis annum certissimum unaquæque præbuit. Attamen in illis partibus seu fragmentis quibus hæc nota defuit, plurima quibusdam indiciis annorum rationem mihi tradiderunt ; quam nisi diligenter inquisitam ante oculos habuissem, multa me fugissent, utpote quæ ad illius temporis historiam spectarent ; quanquam me in uno aut

1. De Adr. Turnebo post *Maittaire* et *Nicéron*, Ch. Waddington et Legay nuper disseruerunt ; quorum unus in illius religione perspicienda moratus est ; alter ejusdem vitam summatim enarravit.

2. Quarum unam, ut brevi præcidam, hoc tantum titulo « *Poemata* », alteram « *Opera* » notabo.

altero loco sive de nomine quodam, sive de tempore incertum permansisse mihi confitendum est. Quæ vero de carminibus modo dixi, eadem ad præfationes pertinent, quas Argentoracensis editio perturbate positas continet.

Denique res ita composui ut et argumenta quæ mihi materies suppeditaret, alia seorsum ab aliis exponerem, et ipsius Turnebi vitæ tenor servaretur, eo consilio ut quæ de scriptore dissererem, aperta facilique via sequi liceret.

Lutetiæ Parisiorum, pridie Kalendas decembres, anno MDCCCXCVIII.

L. C.

PRIMUM CAPUT

Quid ad historiam Regii Collegii conferant Adriani Turnebi præfationes; quem « philosophiæ et Græcarum litterarum professorem » demonstrent.

I

De Adriani Turnebi vita ab anno 1547 usque ad annum 1561. — Qui cum Jacobo Tusano successisset, Petri Rami adversarius exstitit; mox Regium Collegium contra Universitatem defendit; denique « Græcæ philosophiæ professor » electus est.

Nihil ante annum 1547 Adrianus Turnebus in lucem ediderat; adde quod in præfationibus quas postea scripsit, perpauca de vitæ suæ spatio præterito, nulla fere de teneris annis declaravit[1]. Qui fuerit adolescens, Leodegarius a Quercu nos certiores fecit[2]. Cum autem anno circiter 1532 in Universitate doctor Turnebus electus est, vitæ cursum abhinc usque ad extremum diem in duas partes haud æquas divisum tenuit.

Nam primum Lutetiæ in Justitiano Collegio cujus discipulus

1. Andeliaci, in agri Rothomagensis oppidulo, anno 1512 Adrianum natum esse constat; (v. *Adversariorum* lib. IX, cap. 8) qui gentilicio nomine ac vere gallico *Tournebus* dictus est, ut Rhotomagensibus chartis evolutis *Ch. de Beaurepaire* probavit. (Vide apud *Legay*, p. 5 et sq.) Neque admirandum est quod nominis gallica forma in latïnam *Turnebus* facillime conversa rursus in sermone communi *Turnèbe* evaserit; Pascasius autem nunc patrem, nunc filios invocans *Tournebus* vel *Tornebus* gallice nomen plerumque usurpavit, quanquam et interdum *Tournebu* vel *Tournèbe* scripsit. (*Lettres de Pasquier*, 1619, t. I, p. 6; 580; 680; 829; et: *œuvres meslées* (eodem anno), p. 547; 548; 559. — *Recherches de la France*, édit. 1643, lib. VII, cap. 7, p. 618; lib. IX, cap. 18, p. 834; cap. 29, p. 858. Longe sed erraverunt Tessier et quidam alii *Tournebeuf* immutantes, quasi e Scotica gente *Turnbull* dicta Adrianus oriundus fuisset.

2. In illa funebri oratione qua defunctum amicum laudibus extulit. (v. *Opera*, t. III. p. 98 et sq.)

fuerat [1], humaniores litteras edocuit ; ibi Leodegario a Quercu collega et amico sibi conjunctissimo usus est. Mox evenit ut utrumque schola celebrior, Barbarana dicta, magistrum, anno 1538, ad se acciverit [2] ; dumque Turnebus « Quintiliani tertium librum lectitabat [3] » aut alios scriptores, multa jam delendo vel corrigendo famam Aristarchi peperit [4]. Si quibusdam credimus, in alio collegio, sive Cardinalitio, sive Marchiano cum Buchanano Muretoque idem professus est ; quod mihi nullo modo probatum videtur [5].

Circiter anno 1545 Tolosam, ad illo tempore florentissimam Universitatem, Cardinalis Castilionæi mandatus auctoritate [6], Turnebus cum Leodegario suo profectus est ; ibique collegam Dionysium Lambinum, discipulum Henricum Memmium habuit, quibuscum et Lutetiæ familiariter erat conversaturus [7]. Jamque Tolosæ Parisiensis Universitas egregium virum invidebat, cum anno 1547 accidit ut uno die Jacobum Tusanum, litteras græcas edocentem, et Fransciscum Vatablum, hebrææ linguæ peritissimum, Collegio Regio mors auferret ; sed enim « exitiosiorem ictum improba meditabatur cui superiori petitione proluserat » : pridie Kalendas apriles rex etiam Franciscus I, litterarum parens jure dictus, obiit [8]. In hoc rerum

1. *Opera*, p. 99. — Cum autem Universitatis scholas frequentaret, Jacobum Tusanum, Guillelmum Grossium, Guillelmum Quercetanum Turnebus adolescentior audiebat. (*Ibid.*)

2. Vide Quicherat : *Histoire du Collège de Sainte-Barbe*, t. I, 245 et sq. Cf. « Leodegarii a Quercu oratiuncula habita Lutetiæ calend. octobr. cum auspicaturus esset Timæum Ciceronis in Athenæo Barbarano. 1557. »

3. Vide Noël du Fail « Les Baliverneries ou Contes nouveaux d'Eutrapel... » (*Édit. Elzévir*, t. II, p. 189.)

4. Talem ei diligentiam, utpote supervacaneam, P. Ramus crimini vertit. — « P. Rami et Aud. Talæi collectæ præfationes », p. 609.

5. Hanc trium virorum societatem in Marchiano collegio factam fuisse Nicolaus Borbonius, vetus quidem poeta sæculoque præterito superstes Menagio dixerat ; cujus ex commentariolis (v. *Anti-Baillet*, I, 328), fabulam a Quicherat relatam Legay nimis credulus accepit ; abbas autem *De Marolles* idem de Cardinalitio contendit. (v. Teissier, I, 287.) At viro eruditissimo Dejob certum est Muretum in hoc collegio litteras professum ; plane vero dubium ei Buchananum Turnebumque collegas fuisse. (v. Ch. Dejob, *M. Ant. Muret* (in appendice B, p. 433).

6. « Et ab eodem honorario auctoratus » *Opera*, I, 96 (ad Castilion. epistola). — Namque anno 1544 Lutetiæ Turnebum etiam tum fuisse Buchananus me certiorem fecit. (*Editio Basiliensis*, prima pars, p. 79 et 81.) — Leodegarium autem « Tolosæ pridie Idus Novemb. anno 1546 » lectitavisse mihi constat. (*Leodeg. Prælectionum liber*, p. 42.)

7. Cf. « *Mémoires de Henri de Mesmes* », par Éd. Frémy, p. 139.

8. *Opera*, t. III, p. 29. (Tusani or. fun.)

discrimine, Petro Castellano, professorum collegio præfecto, Cardinalis Castilionæus Turnebum ut in locum Tusani succederet, sponte sua designavit ; cujus suffragium et prærogativam Petri Gallandii fides adjuvit. Lutetiam ergo Turnebus repetiit, ut non jam hinc exsularet [1].

Hæc altera vitæ suæ pars Adriano longe nobilior exstitit, cum celebratissimæ totius orbis Academiæ sedem maxime spectatam occupans præclaro ingenio summaque diligentia inter ceteros eminuerit. Igitur illis patronis a quibus proximæ laudis spem accepisset, gratias egit ea die qua Tusani funebrem laudationem ante auditores pronuntiavit ; quæ gravissima oratio mihi tanto minus est prætermittenda quod ad Collegii Regii magnitudinem humaniorumque disciplinarum amplitudinem spectat.

Græcam enim linguam « omnis eruditionis parentem et procreatricem » in Gallia satam a Jacobo Tusano et ad frugem pæne perductam commemoravit ; Tusanum incredibili studio discipulos foventem ostendit. De Vatablo etiam quo « nemo in ambiguis ad veritatem propius conjiciebat » quædam addidit. Franciscum præsertim Valesium magnificis verbis extulit, « cum æstimatione doctrinæ, non census amplitudine rex homines pendere soleret ». Quamvis autem dubites num Valesius is litterarum callidus æstimator fuerit quem laudatores retulerint, hac certe virtute valuit quod ingenio quemque præstantissimum ad se vocatum beneficiis retinebat. « Illius aula Philosophiæ quædam schola » videbatur ; alter ille Pericles vel Ptolemæus exstitit qui « in Parisiorum Academiam

1. Quæ cum res ita fuerint, Tolosanæ Universitatis inter professores Turnebum annumeratum esse liquet usque ad hanc diem qua Tusano successerit ; erravit igitur *Legay* Turnebum, anno 1545 jam deficiente, Tolosa profectum asseverans, ut Lutetiæ in quodam collegio litteras edoceret (vide supra). Rem vero funebris de Tusano oratio satis superque declaravit. (*Opera*, t. III, p. 31.) At enim scripsit Gallandius in epistola libro cuidam præfixa, quem anno 1554 edidit, « se ante annos decem [id est anno circiter 1544] pace inter Carolum Cæsarem et Francorum regem sancita, Belgicæ occidentalis aliquot oppida cum Adriano perlustravisse, et in singulis monasteriis libros veteres, veluti canes sagaces... diligentes conquisivisse ». Cum vero pax, mense septembri, Crispei, in Laonnensi pago, conclusa fuerit, ea peregrinatio, a duobus amicis suscepta, ad finem ejusdem anni 1544 jure referenda mihi videtur, ante quam Turnebus ad Tolosanam universitatem emigravit. Vide « De agrorum conditionibus et constitutionibus limitum... Parisiis, 1544 ; apud. Adr. Turnebum typ. regium » (P. Gallandius cardinali et principi Carolo Lotharingia...) ; cf. *Legay*, p. 16 et 17,

Hierosolymam, Latium, Athenas transtulit..; quæ enim Europæ natio non huc hodie literas petit?... in eodem auditorio Gallum, Italum, Germanum, Hispanum cognoscas[1] ». Quare non admirandum est quod Franciscum regem et regium Collegium eodem præconio Tusani successor consociaverit[2], Petri Castellani et Gallandii funebribus orationibus sua voce respondens[3].

Cardinali Odoni Castilionæo quem Parisiensis Universitatis « conservatorem » rex Henricus elegerat, suos in M. Tullii de legibus libros tres Adrianus Turnebus commentarios, anno 1552, obtulit, pereleganti epistola præfixa, qua se promeritorum memorem nunquam ex Odonis « clientela familiaque » evasurum testatur; simul haud illepide sese excusat quod patronum quotidie salutatum non adeat, timens ne fulgenti purpura oculorum acies sibi præstringatur. Hos commentarios scribebat dum bellum in Lotharingiæ finibus agitur « in quo Castilionæus Henrici regis auspicia ductumque secutus est[4]. »

Cum eodem anno 1552 Turnebus ad græcos libros regiis typis excudendos cum Guilielmo Morelio consociatus esset[5], per quadriennium hanc « typographi » provinciam simul atque professoris partes pari studio tuitus est; verum, quanquam et ita publico proderat, duplicis laboris onere gravatus, typis, anno 1556, valedixit, prælegendo simul et scribendo contentus. Hoc etiam temporis intervallo certamen acerrimum cum Petro Ramo sibi instituerat, Plato-

1. *Opera*, III, p. 29-30.
2. Scripsit etiam græce regis epitaphium, quo Jovis et Apollinis poetica nomina ad Franciscum retulit :

Ὤλεθ' ὁ μητιέτης, ὤλεθ' ὁ μουσαγέτης.

Vide *Opera*, III, p. 81.
3. Duas orationes de regis obitu gallico sermone fecit Castellanus, unam in metropolitana Parisiorum ecclesia, vicesimo tertio maii mensis die habitam; alteram postridie in basilica Sancto Dionysio dedicata; Petrus autem Gallandius septimo die mensis ejusdem « orationem in funere Francisco... a professoribus regiis facto » pronuntiavit; quæ apud Mich. Vascosanum, anno 1547, typis mandata fuit. Lege Castellani orationes in ejusdem vita a Gallandio conscripta. Cf. Goujet, *Collège Royal*, t. I, p. 128 et sq.
4. *Opera*, t. I, p. 96.
5. V. Maittaire, *Hist. typ. Paris*, p. 50; cf. E. Legrand, *Bibliographie hellénique*, t. I, p. 291, n. 4. Quæ typis græca mandarentur, ea sibi curanda Turnebus suscipiebat; latina G. Morelius : vide librorum indicem.

nis sectatorem post alios Aristotelicos pugnaci et quasi bellatorio stylo lacessens; vetus autem altercatio quæ redintegrabatur, Ramum haud inermem nudumque circumvenit[1].

Hic enim cum in Regios professores cooptatus primum philosophiæ, paulo post latinis litteris edocendis designatus esset, ad Cardinalem Carolum Lotharingum, Mæcenatem suum, « pro philosophica Parisiensis Academiæ disciplina » inscriptam orationem misit; quam sine mora alia ad eumdem Carolum oratione Petrus Gallandius refellendam ita sibi proposuit ut argumenta nigro sale conviciisque adspergeret[2]. Nihil profecto sapiebat Gallandius dum « vernaculos ridiculi Pantagruelis libros » lectitantes objurgat, Rabelæso pœnam soluturus; adversarium enim utrumque in Academia tumultuantem Franciscus ille ridiculis confecit[3], neque « cani latranti » neque « callidæ vulpi » parcens; quæ vero de Petris faceta quadam allusione addidit, Joachimum Bellaium induxerunt ut festivissimam de Petrorum concertatione satiram gallice componeret[4].

Rem serio graviterque ab Adriano Turnebo tractatam fuisse non admiror, quanquam et ipse maledictis haud abstinuit. Qui jam Gallandii libellum, si non suo stylo limaverat[5], at certe probaverat, Ramum palam insectatus est; cujus simultatis causas non longius esse repetendas censeo. Etenim eo præditus erat ingenio Turnebus

1. De illa lite quæ, Francisco I rege, Petro Ramo fuit illata cujusque Antonius Govea, Joachimusque Perion cum Petro Gallandio auctores fuerant, vide Waddington : *Ramus*... p. 41 et sq.; cf. Goujet, *Collège Royal*, I, p. 102 et sq.; II, p. 29 et sq.
2. « P. Gallandii... pro schola Parisiensi contra novam Academiam P. Rami oratio... Lutetiæ, apud Vascosanum, 1551. »
3. V. Rabelais, *Pantagruel, liv. IV, nouveau prologue* (édit. Moland, p. 349).
4. « Satyre de Maistre Pierre de Cuignet sur la petromachie de l'Université de Paris ». Du Bellay, édit. Marty-Lav., t. II, p. 408 et sq.
5. Ut in eodem loco Bellaius retulit :

Ha, je recognois bien le stile,
Que sa doulce plume distille,
Il est tout Perionizé,
Et quelque peu Tornebuzé...

Ibid., p. 410. — Gallandio Turnebus a. 1552 publice gratulatus est quod « invidos et vituperatores illa disertissima et eruditissima oratione se doctiorem quam vellent » certiores fecisset (Vide epistolam Plutarchi libello cuidam interpretato præfixam. *Opera*, II, 67).

quod grammaticam litterarumque historiam facilius quam philosophiam amplecteretur; novam certe dialecticam ut nimis ambitiosam rerumque compositarum pertubatricem detestaretur. Quo vero doctior, eo modestiorem se agebat, cumque doctrinæ cujusque fines certos observaret, indignabatur quod unus tot tantaque, ne dicam omnia, sese professurum affirmaret. Accidit insuper ut uterque ante auditores Ciceronem lectitaret, Ciceronis eosdem libros commentariis interpretatos in publicum emitteret [1] : inde iræ graviter exacerbatæ bellumque novum Ciceronianum, cujus signum Turnebus extulit [2].

Cum enim anno 1553, « in admonitione quadam ad lectorem », collegam suum provocare visus esset [3], paulo post « Rullianos Petri Rami commentarios » animadversionibus tam acriter vituperavit ut libello suum ipsius nomen inscribere non ausus sit [4]. Huc ad Joannem Magistrum « senatus Parisiensis præsidem » epistola addita est qua « classicos auctores [5] » adversus Rami calumnias se jam vindicaturum negat, cum antea doctiores id fecerint; sed ostendet « quam iste omnis antiquitatis atque etiam grammaticæ imperitus sit. » Tum in proœmio quodam hominis si non veram, at certe ridiculam et odiosam imaginem describit, professorem irridens « cujus in Aristotelem et Ciceronem furiosæ declamationes... pro Mimis aut Atellanis habentur » ita ut non audiatur, sed histrio tanquam spectetur [6]. Neque hæc insulsa ; sed acerbius quam decuit,

1. In Ciceronis de fato librum prælectiones P. Ramus anno 1550; commentarios A. Turnebus anno 1552 publicavit; (*Opera*, t. I, p. 218) qui eodem anno de legibus libros ediderat (vide *supra*).

2. Etsi hanc P. Rami cum A. Turnebo disceptationem vir peritissimus Waddington in suo libro non omisit, tamen in illius scriptis atque factis, ut decuit, immoratus est, hujus autem libellos levius attigit. Inde fit ut quas in ea contentione partes Turnebus egerit, in lucem adducendum mihi proposuerim.

3. Vide commentarium in orat. Cic. pro Caio Rabirio. (*Opera*, I, p. 1.) De eadem oratione P. Rami prælectiones anno 1551 editæ fuerant.

4. Leodegarii a Quercu nomen falso scripsit; *Opera*, I, p. 72. Ramus autem tres contra Rullum orationes (sive de lege agraria) prælectionibus suis illustratas anno 1552 ediderat. (Vide *Waddington*; in appendice.)

5. *Scriptores* latine melius dixisset! at verbum *classici*, id est prima classe civium, ab Aulo Gellio scimus hoc ipso sensu usurpatum; ex quo gallice *classique*, ad XVI sæculi finem dictum, a *Cotgrave* acceptum est.

6. *Opera*, I, 72 ad 74.

Turnebus peroravit, dum litis jamdudum decisæ et edicti quo, Francisco rege, Ramus officio suo dejectus esset, memoriam renovare tentat [1].

Tum demum obtrectatori suis « in librum de legibus I. prælectionibus » Ramus respondit [2]; cui libello « adversus quorundam calumnias Adriani Turnebi apologia » successit, ad Lancilotum Carlum, Regiensem episcopum perbrevem epistolam præ se ferens [3] (1554). At nunc cum personam abjecerit, vero nomine declarato, Petri Rami censuram redarguere Turnebus conatur, nedum contumelias congerat; dumque Tullii sententias de legibus e Stoicorum fonte manavisse probat, philosophos interpretando philosophiæ professorem sibi fasces submittere jubet [4].

Neque ante annum 1556 exeuntem de Cicerone controversia confecta est. Quem prius suæ causæ Turnebus advocatum elegerat, rursus nunc judicem in nova « disputatione ad librum de Fato » Lancilotum constituit [5], cum nemo « cum in omni nobilissimarum artium genere », tum « animi moderatione et integritate » Regiensi episcopo præcederet; talis autem moderationis exemplum adeo procul a se Turnebus rejecerat ut Ramum argueret « a legitimis judiciis ad populum provocare » turbamque laudantium impudenter domum admittere.

Res vero suas haud inique repetiit, siquidem ipsius de fato commentariis ad suos rectius corrigendos homo vafer usus erat [6]. Quid autem *fatum* significet, utrum ad morum doctrinam referendum sit, an ex dialectica pendeat, magni quidem momenti quæstionem, spinis quanquam involutam, Turnebus longe disputat [7]; cui si fidem adhibeamus, nihil Ramus intellexit, omnia nesciit. Quidquid

1. *Opera*, I, p. 81-82.

2. Has Rami prælectiones editas esse cum Nicolaus de Nancel in ejusdem vita, tum Adrianus Turnebus sua responsione testatus est; quas tamen in bibliothecis se non reperisse Waddington asseverat. (V. in opere relato librorum descriptionem.)

3. *Opera*, I, p. 190.

4. *Ibid.*, I, p. 190 et sq.; et 202.

5. « Adversus quendam qui non solum Logicus esse, verum etiam Dialecticus haberi vult ». 1556, *Opera*, I, 236. Suarum autem de fato prælectionum (vide supra) secundam editionem Ramus, anno 1554, emiserat.

6. *Opera*, I, p. 237.

7. *Ibid.*, I, p. 237 et sq.

id est, de sophistis clausulam solitam invenimus, neque tantum dialecticus, vanis titulis superbiens, miles veluti gloriosus deridetur ; tam vehementer et immodice Turnebus exarsit ut in eumdem « publico dedecore atque opprobrio Academiam dehonestantem » collegarum ac discipulorum odium universum provocaverit [1].

Tantam contumeliarum colluviem Petrus Ramus eo minus duxit esse silentio prætereundam quod cum spectato probatoque viro sibi rem agi sentiret ; unius ergo ex amicis suis, Audomari Talæi nomen usurpans, « sua manu et ingenio responsionem argutam salsamque... scripsit » quæ Turnebi « philippicis » paucos post dies succedens typis mandata est [2]. Equidem fateor Petrum Ramum modestiorem et urbaniorem adversario suo se rursus ostendisse [3] ; quanquam illi gentis humilitatem objicere res insulsa fuit ; sed facilius triumphum sibi ipsi decrevit, dum ex Academicis hortis Turnebum ad grammaticam pueros edocendam exsulare jubet.

Istius generis argumenta nova postremaque responsio retorsit, cui Leodegarii nomen iterum inscriptum est [4]. Namque de sua gente quasi aliud intellexisset, Normannorum gentis laudes Adrianus ironice describit [5] ; ceterum « logici » vel « dialectici » nomine ac titulo se indignum confessus, sibi tamen Platonis interpretandi jus exposcit, utpote qui sermonem græcum intelligat [6]. Quod si grammaticam Tusanus « alumnos » aliquot in sua domo sponte docebat, multi hodie, ludorum scilicet magistri, istud officium susceperunt. At enim Tusanus Platonem, Demosthenem, Aristo-

1. *Opera*, I, p. 260 et 261. Hic etiam de viro quodam doctissimo mentionem fecit qui « amplissimo regis Lusitaniæ honorario Conimbricæ professor fuerat » ; is « hoc fere triennio [scilicet ad annum 1553], cum in Galliam decedens, per Salamanticam iter haberet, homines eruditos qui in ea urbe erant » P. Ramo infamiam exprobrantes audiit. — Hoc loco, ni fallor, Antonius Govea significatus est, qui inter ejusdem Rami obtrectatores acerrimus exstitit ; cujus frater Andreas, Conimbricæ quidem collegium condiderat, sed anno 1548 decessit ; Antonius autem anno 1565 diem obiit. Cf. Teissier, I, 291.

2. « Audomari Talæi admonitio ad Adrianum Turnebum » 1556, apud Wechelum. Cf. P. Rami vitam per Nicolaum de Nancel, apud Cl. Morel, 1601, p. 41.

3. Cf. Waddington p. 105.

4. *Opera*, I, 262. Quod nomen suppositicium esse Waddington non animadvertit.

5. « Sedes enim quas incolit, virtute quæsivit ; Britanniam armis domuit et pacavit, etc. » *Opera*, I, 262.

6. *Ibid.*, 265 et 269.

telem, etiam aliquando Novum Testamentum explicabat. — Quisnam vero tantum laborem nunc humeris sustineret ? Nempe virum defunctum eis laudibus Ramus extulit quibus simul successorem elevaret [1] ; « doluit enim Adriani Turnebi subrogatione suaque ipsius repulsa [2]. » — Quid plura ? cum jam ad illum fontem, ut ita dicam, simus regressi ex quo tantum offensionis atque odii alter in alterum invicem conceperit.

Eidem responsioni quædam inserta est epistola quam ad Lancilotum Carlum anno quo Ramus in primum de legibus librum commentarios ediderat, bellumque in Belgica ducebatur, græco sermone Turnebus mittebat [3] ; quam si legeris, stylo quidem Attico scripta, nihil prorsus ad ea quæ narravi, superaddere videbitur. Atque hæc hactenus. Quid vero concludam ? illos multo magis de verbis quam de rebus inter se tam acriter disceptavisse, cum eloquentiæ et philosophiæ, logicæ vel dialecticæ vim naturamque sua quisque definitione comprehensam contenderet. Quem ergo versum Turnebus in Ramum transtulerat [4], etiam in se cadere prudentius animadvertit :

Et veterem in limo ranæ cecinere querelam.

Verum mihi in animo non est tantorum virorum memoriam indecora translatione dehonestari, cum uterque magister egregius exstiterit ; major quidem eloquentia Ramus fuit [5], Turnebus scientia ; discipulorum studio plausibusque unus et alter excipiebatur [6].

At si publice rixando mutuo veluti consensu cessatum est, omnem tamen invidiam privatim secretoque non abjecerunt. Hoc mihi jam duæ quædam ad Petrum Danesium epistolæ græcæ probant [7], qui-

1. In præfatione quam ad Platonis litteras editas Ramus posuerat. (*P. Rami collectaneæ præfationes*, p. 99.)

2. *Opera*. I, 264-265.

3. *Ibid.*, 265-266.

4. *Ibid.*, I, 73.

5. V. Brantôme, *Œuvres complètes*, édit. Lalanne, t. III, p. 286.

6. V. Pasquier, *Recherches de la France*, liv. III, chap. 29, p. 207 ; liv. IX, ch. 18, p. 834.

7. Has epistolas quas nondum in lucem editas puto, in appendice retuli ; Joannes autem Penna anno 1557 regius professor electus est. Idem eodem anno publicavit ;

bus Joanni Pennæ, Rami discipulo, ne mathematicarum artium Regius professor eligeretur, Turnebus obsistere nixus est. His enim litteris de ramo quodam superbiore conqueritur, quod iste, cum a Danesio quondam fractus ac pæne avulsus esset, nunc in Academia non tantum revirescat, sed etiam surculos suos letales inserere videatur; verborumque jam translationes omittens, Pennam nomine vocat memoratque discipulum magistri vestigia persequentem tanta impudentia debacchatum esse ut in conspectu Caroli Lotharingi de quibusdam apud Euclidem propositis disputans, omnia verteret et aboleret; immo ne Danesio quidem, cum et Aristotelem simul urgeret, verbis suis pepercisse. Quare ne tam « furiosa bellua » Academiam invadat, Petro Danesio cavendum qui tot tantisque beneficiis de Regio Collegio jamdudum meritus sit; quem ut Minervam ipsam sententiam dicentem Carolus secuturus sit, nedum Ramo patrocinanti morem gerere velit. — Scimus autem nihil Adrianum, nihil Danesium (si quid modo tentaverit) effecisse, cum Pennam, auctore Ramo, Carolus professorem designaverit.

Is aliquot jam annos abhinc litterarum studiosos sua potentia suisque facultatibus tuebatur; neque tantum Petro Ramo, verum etiam Adriano Turnebo et aliis voluntatis atque studii documenta præbuerat[1]. Testis mihi sit epistola græca Philonis Judæi operibus præfixa quæ anno 1552 edita est: « Ut flumina in mare decurrunt, ad te, Carole, de Parnasso profluunt amnes rivulique; qui liberales artes et scientias prosequuntur, omnes te sive in scriptis sive in orationibus salutant et venerantur[2]. »

Neque inani aut vulgari exordio Turnebus usus est; hæc autem epistola eo gravior habenda quod ad gravissimum tempus quo Regii Collegii salus in periculum adducta est, spectare mihi videtur. Namque Regiis professoribus cum « Universitas » jamdudum invide-

« Euclidis Optica et Catoptrica et Musica, græce et latine, interprete Joanne Penna; Lutetiæ » cum præfatione ad cardinalem Lotharingum, ubi Ramum « præceptorem suum » vocat Caroloque grates agit quod se privatim regia professione donaverit.

1. De cardinale Lotharingo litterarum patrono vide apud *Guillemin*; verumtamen multa novaque de illius in regio collegio persona Adr. Turnebus mihi præbuit.

2. *Opera*, III, p. 56. Quod autem Turnebus græce scripsit, latine mihi potius interpretandum quam vertendum satius duxi, verbaque sæpius contrahens sensum quam maxime diligenter observavi, ne longius dicerem.

ret, malis artibus enixa est ut illos in suum ipsius ordinem receptos privilegiis atque emolumentis destitueret; rem jam sibi successuram sperabat cum sedem communem certumque domicilium nondum habentes, alii in aliis scholarum ædibus prælegere solerent[1]; nec majoris quæstus desiderium Universitatis doctores tantum impellebat; dicendi sed enim et sentiendi libertatem, quantulacunque fuit illis temporibus, etiam oderant, quam sibi Budæi, Vatabli et Tusani successores partam traditamque vindicare videbantur; oderant humaniores disciplinas ex antiquis purisque fontibus desumptas quibus artificia scholastica valde repugnabant.

Quæ si reputaverimus, quid hæc ad Carolum Lotharingum epistola valeat, intelligemus; simul ex eadem illud certamen quod Universitas cum Regio Collegio suscepit, jam ante annum 1552 exortum esse constabit[2]. Nam Carolo summas gratias agit Adrianus quod « barbarorum » impetibus obsistens egregias litteras jam pæne ad desperationem adductas dextra sua servaverit; nihil vero profecisse calumniantes quod illæ juventutem corrumperent, quod Bartoli formulis et artibus, utpote majus lucrum ad usum vitæ quotidianum conferentibus, inutiles vanæque disciplinæ merito posthaberentur[3]; tanti beneficii non Gallos solum memores fore, verum etiam advenas undique concurrentes ut Lutetiæ Museum concelebrent; denique Musas ipsas lætari cum e sedibus suis non exsulantes, salute restituta, jure ac privilegio sint fruituræ[4].

Nempe metaphorarum artificio quodam cum Universitas et Sorbona, tum Regium Collegium satis aperte designata sunt. Hujus

1. V. Goujet, *Collège royal*, I, p. 132 et sq.

2. Erravit igitur Goujet, dum, auctore Bullæo (*Universitatis historia*, t. VI, p. 491), ejusdem exordium ad annum 1556 tantum refert; cf. *Lefranc*, p. 203 et sq.

3. *Opera*, III, p. 56-57. Hunc locum eo magis spectandum existimo quod rem plane novam inauditamque refert, jurisconsultos scilicet qui ab Universitate Parisiensi pontificum Alexandri III et Honorati III decretis jamdudum exclusi essent, cooptationis spem sibi præcipientes cum theologis aliarumque Facultatum doctoribus enixos esse ut regiis lectoribus succederent.

Sed enim « Decretorum facultas » hoc sæculo cum tribus aliis Artium, Medicinæ et Theologiæ sola permansit; tandem, XVII sæculo, leges jurisque civilis scientia in Pariensi Universitate locum obtinuerunt. — Vide Pasquier, *Recherches de la France*, lib. IX, cap. 28, 35 et 37.

4. *Opera*, III, p. 57.

autem Carolus Lotharingus, Petro Castellano defuncto, anno 1553, præfectus electus est ; tribusque interjectis annis, cum iidem quattuor artium doctores easdem criminationes audacius repeterent, pro reis ante regem Cardinalis ipse dicens effecit ut ab omni malæ cujuslibet hæreseos suspicione purgarentur ; decretum enim rex Henricus edidit quo suis lectoribus sedem certiorem in duobus collegiis assignans Universitatis postulationem repellebat [1].

Alterius igitur victoriæ fructum Carolo Turnebus gratulatus est in epistola quam « Plutarchi de oraculorum defectu libro » latine verso, anno 1556, præscripsit. Hic, ut prius græco sermone, Cardinalem iisdem laudibus latino prosequitur qui « ingenuam doctrinam humanitatisque artes, Musarum patronus, hac tempestate solus fovet ac sustinet [2] » ; Sorbonæque theologos iterum vellicans addit : « Homines nonnulli, boni illi quidem, sed male nati et pejus instituti, supercilii severitate et ordinis auctoritate freti, odium in bonas literas conceptum intimis pectoribus foventes, clandestinas insusurrant calumnias, quibus tu nunquam aures patefecisti... [3] »

Attamen isti aliique doctores belli redintegrandi causam falsam anno 1557 susceperunt. Cum enim ad Clericorum Pratum scholastici nonnulli inter se rixam movissent, tumultus rationem a Regiis lectoribus reposcendam Universitas mentita est. Tum « Senatus Parisiensis » ad cujus cognitionem lis allata erat, sententia prolata partem utramque afflixit ; namque docendi libertas his et illis æqua lege in angustum adducebatur. Quare ad regem provocatum est, Feramque Tardenorum ubi cum Lotharingo Carolo Henricus II morabatur, missi legati inter quos Petrus Ramus et Adrianus Turnebus [4]. Etsi vero illius orationem quam typis mandavit,

1. V. Goujet, *ibid.*, I. 133 à 135. Hæc autem erant collegia Cameracense et Trecorense.

2. *Opera*, II, 76. Visiorum etiam gentis laudem addit, quam in suis carminibus fusius evolvet. Hoc autem Maronis versu ad Carolum translato : « Inter victrices hederam tibi serpere lauros », forsitan et cardinalis scutum in quo pyramidem hedera circumcingebat, Turnebus significaverit.

3. *Ibidem.*

4. Quæ facta longius exposuerunt Bullæus (*Hist. Univ.*, t. VI, p. 491 et sq.) ; Goujet, 137-138 et A. Lefranc, p. 213.

solam novimus [1], tamen hujus verba non nullius apud regem momenti fuisse credimus ut omnibus scholis publicarum prælectiorum licentia restitueretur.

Quæ jam ex Adriani Turnebi præfationibus et epistolis ad ejus vitam Regiique Collegii historiam pertinebant, pleraque retulimus ; quæ vero supersunt, poematis addenda sunt. Illam tamen orationem habitam cum philosophiam profiteri cœpit [2], huc etiam proferam, ut quem honorum cursum in collegio peregerit, totum uno conspectu complectaris. Cum enim Petrus Gallandius, « latinarum litterarum professor », anno 1559 diem suum obiisset, Dionysius Lambinus, anni fere totius post intervallum, ei successit ; mox autem, anno 1561 ad finem vergente, factum est ut, philosophiæ græcæ munus edocendæ quod Franciscus de Vicomercato deposuisset, Adrianus Turnebus occuparet [3] ; cujus loco græcarum litterarum partes Lambinus, latinarum denique Leodegarius a Quercu recepit.

Triplex ergo cooptatio facta est, quam in oratione Turnebus commemoravit, eo se feliciorem existimans quod amico Leodegario tandem « aditus ad regiam cathedram apertus esset [4] ». « Professionum vero commutationes » a Cardinale Lotharingo probatas « Academia tota laudavit » ; unus tamen acerrime vituperavit. « Is in

1. Illam lege in ejusdem *collectaneis præfationibus*, p. 428 : *de legatione prima.*

2. *Opera*, III, p. 41 et sq.

3. *Ibid.*, p. 44. Francisci de Vicomercato nomen Adrianus quidem tacuit ; at idem retulerunt Leodegarius a Quercu et Lambinus. — « Leodegarii a Quercu Latinarum literarum Regii Professoris oratio habita Lutetiæ, initio suæ professionis, anno 1561, X. Cal. Jan. » Hunc libellum cujus nemo ante me ullam mentionem fecerat, in bibliotheca Mazarini nomine dicta, reperi (nº 14743, ad paginam manu scriptam 267) ; sin autem anni rationem spectas, vides orationem ante diem decimum Kal. Jan., anno 1561, habitam esse ; adde quod illo tempore apud nostrates a mense Martio annus initium ducebat. Dionysii autem Lambini oratio qua primum « Regii græcarum litterarum doctoris » titulum usurpabat, « Idibus januariis, pridie quam Homeri Iliadis librum A. explicare inciperet », habita est ; typis autem mandata « Parisiis apud Andr. Wechelum 1562 » (Bibl. Nat.). In errorem igitur inductus est Goujet sibique ipsi contradixit qui Lambinum ad a. 1561, Leodegarium ad 1568 Regium factum esse professorem asseverat (v. *Collège Royal*, t. I, p. 462 ; et II, 352. Idem Fr. de Vicomercato non ante annum 1567 regiam cathedram reliquisse nos docet ! (*Ibid.*, II, 193.) Denique de Turnebo « philosophiæ græcæ professore » Goujet siluit. At recentiori Collegii historico, A. Lefranc falsam annorum rationem in quam et ipse de Leodegario incidit, crimini vertere nollem, qui rursus multa de rebus gravioribus me ipsum edocuerit.

4. *Opera*, III, 44. Quod ad ipsum attinet, Joanne Salignaco et Renato Bomoreo auctoribus apud cardinalem Lotharingum se usum esse dicit.

circulis omnibus, in librariorum tabernis, in compitis... cavillans linguæ suæ flabello ventilat... et ait... me non philosophum, sed ineptum verborum interpretem : videlicet ut cum philosophiam mihi detraxerit, eam sibi et *uni cuidam* arroget : tradunt enim operas mutuas et philosophiam soli communem pro indiviso, ut jurisconsulti loquuntur, videri possidere volunt. »

Qui fuerit ille calumniator, mihi incertum est [1] ; at alterum ejusdem socium, pari superbia tumentem, Petrum Ramum hoc loco et infra designatum fuisse liquet ; addidit enim Adrianus : « Alter in aula susurrat me Demosthenem interpretari posse, non Aristotelem... At idem aliquando... Petrum Gallandium... rogabat, ut mecum ageret, ut dum abesset, Aristotelem ipsius vicem interpretarer... Adjicit grammaticum esse me, vellem adderet et Philoponum, id est non cessatorem, neque qui diuturni silentii mercedem sim postulaturus, ac ostensurus me Pythagoreum potius esse quam Aristoteleum [2]. » Veteris igitur controversiæ memoriam neuter amiserat ; at nunc saltem jus suum Turnebus vindicabat ; quippe qui ut in Platone, sic in Aristotele interpretando, sese, quanquam vel maxime quia grammaticus esset, Petro Ramo superiorem fore contenderet.

II

Quid de Græcorum philosophia litterisque Turnebus judicaverit ; quo dicendi genere in orationibus et epistolis usus sit.

Injuriam equidem Adriano Turnebo ferre viderer si Latinos ab eo neglectos esse contenderem. Namque Tullii libris interpretandis quo studio tamdiu incubuerit, illi de quibus modo diximus, commentarii documento sunt ; quibus, ut præfationum veluti spatiis rem contraham, Petro Danesio addenda est epistola qua « Delphini » præceptori doctissimoque collegæ loci cujusdam Ciceroniani de jocis

1. Quanquam Audomarum Talæum, P. Rami strenuum defensorem et amicum hoc loco significatum esse suspicor ; neque enim de Joanne Penna res agitur, cum hunc anno 1560, nisi potius 1558 vita decessisse constet (v. Goujet, II, p. 60).
2. *Opera*, III, p. 44-45.

explicationem obtulit [1]. His autem, quamvis argumentum levius sit, quasi molestiarum remissione quadam liberali Danesium usurum esse putat ; quippe cui libenter « seria graviaque studia in faceti sermonis humanitate interquiescant. » Nempe magnum librum Callimachus magnum esse malum dicere solebat ; cui proverbio Turnebus, legentis offensionem brevitate vitaturus, fidem facit. — At enim istud crimen nimium fugit qui criticus tam multas admonitiones aut explanationes in aliorum opera conferens, amplissimum « Adversariorum » volumen exstruxerit, nullum vero librum, sive magnum, sive parvum, ex suo ipsius ingenio prolatum emiserit. — Quid ? onus suis viribus sensit aptandum, ea tamen exhibens quæ litterarum studiosos adjuvarent. Ut ad illum locum de jocis redeam, voluit experiri « ecquid in loco et arguto et obscuro ipse præstare posset [2] » ; nihil sane apud ætatis nostræ grammaticos subtilius et eruditius in hoc genere reperias.

Ad Latinos etiam quod attinet, Gulielmo Pellicerio C. Plinii præfationem emendatam et annotationibus illustratam brevi quidem epistulio Turnebus dicavit quo sibi a Monspessuli episcopo nonnihil ad eadem adjumenti collatum ingenue testatur [3] ; hunc enim in Plinio explicando multum elaboravisse constat [4]. Cum autem in Varronem et Quintilianum commentariis [5] nullam epistolam Adrianus addiderit, ad Græcos jam mihi transeundum est.

Etenim qui græcas litteras et philosophiam « regius professor » edocuit, in Græcis lectitandis totam pæne vitam consumpsit ; illos « regius typographus » edidit. Prælectionum autem quas ante auditores egit, orationes quinque memoriam nobis servare videntur ; quibus et epistolæ sive præfationes editionibus præfixæ multo plures addendæ sunt.

De oratione « habita cum philosophiam profiteri cœpit » nonnulla jam supra dixi ; quid autem de philosophia senserit, nunc breviter

1. *Opera*, I, 202 (anno 1555).
2. *Ibid.*
3. *Ibid.*, I, 385 (anno 1556).
4. Quod mihi probaverunt Pellicerii in Plinium commentarii, manu ipsius exarati. [*Bibl. Nat.*, fonds latin. 6808.]
5. Quorum titulos in indice nostro cum aliis Turnebi libris descriptos invenies.

ostendam, cum eas partes quibus sim alienus usurpare nolim, neque prorsus in philosophorum grege Turnebus jure sit annumerandus. At saltem philosophiam contra detrectatores cum antiquæ tum recentioris ætatis fortissime defendit, illam « rerum divinarum et humanarum cognitionem, causarumque quibus quæque res gerantur notitiam » cum M. Tullio demonstraturus [1]. Quid vero omnium doctrinarum admirandam farraginem adduxit, dum Epicurum cum Platone, regem Salomonem cum imperatore Justiniano conjungit, Pythagoram Gymnosophistarum socium ostendit [2] ? Sapientiam quidem ab universis terrarum populis et omnibus temporibus summa cum religione spectatam et excultam probare voluit ; eloquio sed enim, non judicio hanc orationis partem ita commendatam merito dicemus ut τοῖς ἐκλεκτικοῖς qui ætate nostra floruerunt, Turnebus jam præcurrisse videatur.

Verum æquiore loco pugnat, ut ad ipsos scriptores accedit verborumque sensum explanandum aggreditur ; nec infeliciter Petro Ramo deridenti respondet « Aristotelem ipsum Critices, id est grammatices inventorem » officium et interpretationem grammatici benigne fuisse excepturum. Scilicet Aristoteli non defuerunt commentarii quorum copia pæne obruimur ; ex his isti sapiunt qui per se nihil possunt ; at suo Marte sibi tandem agendum duxit Adrianus ; neque jam magistrum imitabitur qui « velut lanista, producit in arenam interpretum paria, atque inter se committit, novissime in arenam ipse prodit omnesque jugulat, ac de eis palmam sibi dat et coronam [3]. »

Ceteroquin, quam modeste de se ipso sentiret et diceret, præfationis in Timæum Platonis exordium etiam declaravit [4]. Nihil enim sibi difficilius habuit quam veterum scriptorum sensum interiorem ac « reconditas litteras » in lucem proferre : « adeo ut

1. *Opera*, III, p. 41.
2. *Ibid.*, ib., p. 42-43.
3. *Ibid.*, ib., p. 45.
4. *Opera*, III, 46. Vide etiam perorationem, *ibid.*, p. 49. Hanc orationem ante annum 1552 habitam fuisse mihi probavit illa Petro Gallandio epistola eodem anno missa, his verbis incipiens « Explicanti mihi Timæum Platonis... » (*Ibid.*, II, p. 67.) Igitur philosophos jam ante prælegebat Adrianus quam philosophiæ græcæ professoris titulum accepisset.

docendi officium hodie sit operosius quam Platonis ætate : propterea quod aliorum libros non interpretabantur ; ...suæ vero mentis ipsius sensa et consilia quis ita est infans et hebes quin verbis explicare possit [1] ? »

« Philosophum omnium gravissimum et divinissimum » Platonem egregie laudavit, eam disserendi rationem sequens ut quidquid ex antiquioribus disciplinis depromptum ille in suam doctrinam convertisset, peritissime demonstraret [2] ; cumque apud Platonem triplicem philosophandi viam ostendit [3], scriptoris eloquentiam et poeticum instinctum miratur ; dialogos autem « philosophorum proprium et dialecticorum » sermonem ducit. Denique in Timæum perorationem adducit « cujus libri inscriptio multa ex Pythagoræ schola deducta declarat, cum et Timæus Pythagoreus fuerit, et de natura scripserit ; multa tamen de suo addidit Plato, multa immutavit [4]... »

Tametsi Platonem Aristotele « acutiorem et solertiorem » Turnebus in hac præfatione profiteri ausus est [5], huic tamen illum longe postponendum alias declaravit [6]. Cum enim de Phædone præfatur rationesque varias inquirit quibus « animorum immortalitas » probari videatur [7], ab Aristotele « sollertissimo naturæ investigatore

1. Si modo mentem et « sensa » et ingenii quamdam facultatem habeat ! — Verum Turnebus satis humano generi docentes fecisse credebat, si « omnia quæ vel scientiæ pervestigatione, vel disserendi ratione ab antiquis comprehensa essent » quisque pro sua parte demonstravisset : existimabatque nimirum omnem philosophiam et scientiam apud Græcos esse reperiendam (Cf. ejusdem orationis exordium). Hujus erroris multi qui XVI sæculo litteras humaniores excoluerunt, excepto P. Ramo, participes facti sunt : hoc modo Henricus Stephanus omnem medicinam ex Hippocratis et Galeni fontibus exhauriendam esse contendebat.
2. *Opera*, III, 47-48.
3. *Ibid.*, ib. « unam de vita et moribus, alteram de natura et rebus occultis, tertiam de disserendo et quid verum falsumque sit, exquirendo. »
4. *Ibid.*, *ibid.*
5. *Ibid.*, *ibid.* « dicam enim libere quod sentio, licet fremant Peripateticorum scholæ... »
6. Vide etiam in « oratione de philosophia » locum ubi Peripateticorum sectam tumide et inflate prædicat, asseverans « in ista disciplina homines una consentire qui de religione et plurimis gravissimisque rebus internecivis odiis inter se dissideant. » *Opera*, III, 44.
7. *Opera*, III, 49 et sq. — « Etsi vera sacrosanctæ religionis nostræ fide comprobata et recepta est... tamen adversus impios homines subsidio philosophiæ nobis utendum est. » Hæc verba cum aliis quæ alio referemus, Adriani Turnebi fidem christianam declarant. Hanc præfationem mihi verisimile est Turnebum antea fecisse quam anno 1553 Platonis Phædonem græce edidit.

philosophorumque doctissimo », nonnulla de mentis ipsius natura simplici et agili mutuatur argumenta[1], eique falso quosdam objecisse contendit quod animi mortalitatem professus esset[2]. Jam vero Platonis pæne oblitus, quæ in Phædone argumenta continentur, ea breviter summatimque contrahit ; tum graviora salse concludens, Cleombroti Ambraciotæ discipulos admonet « qui cum hic legisset philosophiam esse mortis meditationem... ex alto muro se in mare præcipitem abjecit ». — « Quo mihi magis, inquit Adrianus, danda opera est ut omnia clara fideliquc interpretatione percipiatis : ne si quid minus intelligatis, Cleombroti exemplo in vos male consulatis[3]. »

Quemadmodum Græcorum philosophiam, sic et historiam cujus quidem auctor Thucydides gravissimus exstitit, in alia præfatione laudibus extulit[4]. Hic etiam Ciceronis definitionem exponit, historiam « testem temporum, lucem veritatis, vitam memoriæ, magistram vitæ, nunciam vetustatis. » Poetas vero quamvis severius urgeat, utpote qui fabularum mendaciis nos alliciant, sanctos se vates esse prædicantes, at certe falsos historicos qui vera fictis adulterent, summo jure Turnebus condemnat ; Herodotum igitur arguit quod « hominibus delicatis oblectamenta potius quam documenta quæsiverit », cujus exemplo ceteri pæne Græcorum scriptores dum legentium voluptatem aucupantur, « pæne Deorum aras tangentes, in ipso veritatis et fidei sacrario, id est in historia, ultro libenterque pejerarunt. »

Istud autem vitium ad nos manasse Turnebus vehementer conqueritur : rem enim eo deductam « ut historiarum commentarios vernaculo sermone confectos falsum cum vero non diviserit, sed penitus sibi vindicarit. » — « Quam non superant Ovidii metamorphosin improborum commentorum admirabilitate[5] ? » Equidem, vellem hoc in loco scriptorum nomina, vel ipsam operum notam

1. *Opera*, III, p. 50-52.
2. *Ibid.*, p. 52.
3. *Ibid.*, p. 52-53.
4. *Ibid.*, III, p. 32 et sq.
5. *Ibid.*, *ibid.*, p. 33.

censor posuisset ; at mihi persuasum habeo Turnebum sive Joannis Froissarti sive Philippi Comminis commentarios ignoravisse, quibus certe pepercisset. Qui vero XVI sæculo ineunte, vel usque ad ipsius Turnebi vitam producto rerum gestarum narratores exstiterunt, etsi judicium eis et ratio sæpius defuit, tamen ætatis suæ memoriam cum diligenter, tum jucunde prodiderunt ; testes sint inter nonnullos[1] Claudius de Seyssel, Robertus de Fleurange, Guillelmus Bellaius et ille qui Bayarti ducis vitam in lucem produxit ; nisi forsitan de Francorum origine fabulosos annales quorum exemplar apud Joannem Majorem a Belgis reperies[2], Turnebus respexerit.

Verumtamen cum universos pæne omnes eadem censura vexavisset, « paucos » tamen excipiendos confessus est « qui incorruptam sinceramque veritatem secuti essent, quibusque historia deberet quod superstes esse videretur ». Apud enim alios integritatem historiæ contaminatam esse « vel metu, vel adulatione, vel odio vel partium studio[3]. »

Quidquid id est, historia sit non modo rerum temporumque testis, verum etiam vitæ dux morumque disciplinæ magistra ; cujus officii cum philosophia particeps habenda est. « Quæ enim scholæ, quæ disputationes, nisi ad rem vitamque conferantur, nisi clarorum virorum factis comprobentur, » tanquam somnia et inania verba non reprehendantur ? Antiquitatis autem cognitione « nihil homine libero dignius ; qui nihil ante suam ætatem novit..., quod præsens est, tantum videt, atque is ridicule idem fuisse mundo lucis et sibi vitæ rudimentum censet[4]. » — « Quod si in hac quotidiana vita dies posterior discipulus est prioris, immensi illius temporis commemoratio exemplo nobis tandem et disciplinæ non erit ? » Itaque vir civilis jam pæne futura providebit, si ex præteritis rerum vices noverit, ex antecessionibus consecutiones discreverit, imperio-

1. Vide apud Hatzfeld et Darmesteter « *Le XVI*e *siècle en France* : introd. chap. IV » ; cf. *Hist. de la langue et de la litt. fr.* (A. Colin), t. III, chap. X, p. 530 et sq.
2. In opere inscripto « *Les Illustrations des Gaules* ».
3. *Opera*, III, p. 33.
4. *Ibid.*, *ibid.*, p. 34.

rum denique « ortus, amplificationes, status, inclinationes » non ignoraverit [1].

Quæ verba licet in loco quodam communi jaceant, nihilominus de gravissima materie ita graviter Adrianus Turnebus disseruit ut eloquentiam admodum hac oratione consecutus sit. Illam vero sibi ante oculos meram historiæ speciem posuit, cujus lineamenta Thucydides exprimens rerum a se compositarum « perpetuam possessionem [2] » posteritati relinquere voluit [3].

Ab antiquis jam ad recentiores litteras « in Dionysium Alexandrinum præfatio » nos adducit [4]; quæ licet exilis jejunaque videatur, tamen materiem exiguam quibusdam vel acute vel facete dictis Turnebus exornavit. Cum enim Dionysius Afer Alexandrinus « luculento poemate orbem terrarum Oceanumque complexus » esset, hunc « malum poetam quam falsum auctorem haberi maluisse » animadvertit [5]. Præterea Dionysii scientiam multo majoris quam æquum fuit, Adrianus fecisse mihi videtur ; is, veterum fautor, cum novas terrarum partes a recentissimis investigatas et patefactas omittere non auderet, tamen non longe aberat quin in Aristotelis quodam loco « Americam » veluti « adumbratam » videret ; hanc certe ἀντάξονα Tullium jam vocavisse, Pomponium autem Melam ἀντίχθονα sibi persuasum habebat, quamvis ea « conjectura potius et suspicione augurati essent, quam scientia et rerum fide cognovissent ». Prudentius vero, quasi vaticinans, hæc addidit : « Neç dubito quin multum terræ supersit,

1. *Opera*, III, p. 35.
2. « Κτῆμα ἐς ἀεί. » (Thucyd., I, 22.)
3. Scriptoris autem virtutes Turnebus dum in peroratione describit, Quintiliani profecto meminit. (*Ibid.*, III. p. 35-36.)
4. *Opera*, III, p. 37 et sq.
5. *Ibid.*, p. 37 et 40, ubi de Dionysio ipso perpauca relata sunt « Alexandrinum eum fuisse, filium Dionysii Alexandrini » (!) — « floruisse existimatur Neronis Cæsaris tempore » ; recte id quidem ; at eum Alexandria quadam, in Susiana posita, (quæ et Charax dicta fuit), cognomen duxisse Turnebus videlicet ignoravit : fuit idem dictus ὁ περιηγητής a quo orbis situm græcis versibus descriptum cum Eustathii commentariis Robertus Stephanus anno 1547 edidit. Hunc igitur librum, typis regiis excusum, Turnebus in manibus habuit. Postea Dionysii poema « ad verbum latine interpretatum » cum et Pomponii Melæ orbe descripto Henricus Stephanus edidit, anno 1577. Vide etiam apud *geographos græcos minores* a Bernhardy, Lipsiæ, 1828, pervulgatos.

quod posteritati ostendatur, nobis hodie absconditum [1] ». Quare Turnebo peregrinatores succensere nolint quod sibi « geographos » prætulerit, unius scilicet oblitus, regiones prius explorandas fuisse quam describendas [2].

Ut orationes quas habuit, ad Græcorum philosophiam et historiam spectabant, sic ejusdem editionibus epistolæ præscriptæ de variis illius linguæ auctoribus sive profanis sive sacris multa nec injucunda retulisse mihi visæ sunt [3]. Cum vero scriptorum, non editionum quemdam ordinem in hac parte mihi servandum satius duxerim, ab Homero, tanquam ab omni poesis fonte, exordium cepissem, si modo Turnebus Iliadi typis a se ipso mandatæ [4] nonnulla de poeta addidisset. Sed cum siluerit, ad Æschylum et Sophoclem jam perveniamus.

Illius tragœdias cum anno 1552 publicaret, simul ad Michaelem Hospitalem epistolam græco sermone conscriptam mittebat [5]. Qui vero regii consiliarii munus tunc occupabat [6], integritatis fama singulari jamjam universo consensu fruebatur, ut « unus inter æquales maxime probaret illud a poeta falso dictum esse : mortalium genus perosam ad superos Justitiam evolavisse ».

Neque tantum quia vir incorruptus, sed quod etiam litteris eruditissimus [7] Hospitalis erat, illum Adrianus diligebat dignissimumque ducebat cui Æschylum a se emendatum offerret.

Multum autem hic operæ ac laboris consumptum esse fassus est. Cum enim erroribus vitiisque gravissimis nonnulli loci scaterent, sæpiusque nihil certum haberet quo verba restituerentur, medicos imitatus est ulceribus inveteratis non temere ferrum admoventes aut ab istis procul discedentes ; alias tamen, cum « a clarissimo

1. *Opera*, III, p. 39.
2. *Ibid.*, p. 38.
3. Non quod de omnibus æque disseruerit ; hos enim fere prætermittebat, cum illos fusius explicaret. Unius vero legentem admoneo : in suis epistolis, ut essent in publicum emittendæ, Turnebum ad familiares sese convertisse, neque ex cathedra orationem habuisse, Quæ cum ita sint, dum Adriani Turnebi de scriptoribus judicia referam, hic et amicitiarum quibus utebatur, rationes modosque persequar.
4. Anno 1554 (v. librorum indicem).
5. *Opera*, III, p. 55.
6. « In Rationum regiarum Decuria præses » (*J. Bellaii allusiones*, f° 9 verso).
7. « σὲ τῆς μὲν ἄλλης παιδείας καὶ σοφίας ἀγάμενοι... » (*Ibid.*).

præside » Æmaro Ranconeto antiquissimum exemplar accepisset quocum locos obscuriores conferret, rem sibi, tribus in tragœdiis constituendis, feliciter successisse contendit[1].

Ejusdem Ranconeti qui apud senatum Parisiensem inquisitionibus exercendis præerat, Sophoclis editioni, græcam etiam addens epistolam, anno 1553, nomen inscribebat[2]. Namque is cum in suam bibliothecam libros ea mente colligeret ut humanitatis studia adjuvarentur, Sophoclis codices manu exaratos Demetriique Triclinii commentaria Turnebo suppeditaverat, in quibus verba explicata aut correcta, metrorum etiam genera descripta legebantur[3]. Cum igitur « ex Æmari alveariis, ut poetice scribit, apis attica tandem resurgens evolaverit, tanquam Bonæ Fortunæ favorum primitias consecraturus, Sophoclis carmina melle dulciora Turnebus amico dicavit[4]. »

Hoc enim in suo libro carminum metrorumque membra quæ antea fracta disjectaque fuerant, ita reparavit ut stropharum certa ratio, versuumque rythmus distingueretur[5]. Falso autem crediderant in choris solutam pæne orationem audiri, cum a lyricis versibus nullo modo dissentirent, nisi strophis modus inæqualis in tragœdia positus esse videretur[6].

Sophoclis vero poeticam facultatem artemque perfectam Turnebus, sui ipsius viribus diffidens, cum describere non ausus sit, tamen poetarum omnium suavissimum, novas in Bacchi theatro fabulas chorum edocentem, verbis egregiis laudavit[7]; neque ver-

1. Quidni tres tragœdias illas planius Turnebus designavit? nec jam certiores nos fecit quæ trium « pulcherrima » sibi visa esset. — Primum Æschyli tragœdias Venetiis Aldus anno 1518 ediderat : postea Robortellus eodem anno quo Turnebus : denique, ut XVI sæculi spatio me includam, a. 1557 Henricus Stephanus qui versibus Petri Victorii observationes et suas ipsius adjunxit.

2. *Opera*, III, p. 56. Sophoclis editio princeps ab Aldo a. 1502 data erat.

3. Ut etiam in editionis suæ titulo scripsit.

4. Vide ad ejusdem epistolæ finem.

5. *Ibid.* Addit etiam « Hephæstionis enchiridion » quod græce eodem anno edidit, ad tragicorum metra describenda summo auxilio fore.

6. *Ibid.*, De hac obscura quæstione etiamnunc certant grammatici, cum alii tragicorum choros strictius descriptos, alii liberius contendant ; inter illos ad præfationem quam vir inclytissimus Henricus Weil Euripidis tragœdiis addidit, legentem mitto : inter hos Mauritius Croiset probabiliora exposuit. (*Litt. gr.*, t. III, p. 145 et sq.).

7. Hoc enim epistolæ cepit initium : « Πάντων τῶν μελικτῶν ἥδιστον Σοφοκλῆν, καὶ τῆς Ἀττικῆς θυμέλης κλέος.. κ. τ. λ. »

suum modo captus dulcedine, illam dicendi et agendi gravitatem ac majestam qua fabula movetur, adeo miratus est ut aliis tragœdiarum scriptoribus Sophoclem longe præstare prædicaverit[1].

Sin autem ad Græcos quorum interpres latinus exstitit, accedimus, Theophrasto primum occurrimus. Margaritæ Valesiæ de odoribus libellum « græce et latine » publicatum Turnebus obtulit[2], illam « eximium hujus ævi decus et ornamentum, » recte dicens ; quippe quæ egregiarum litterarum amantissimam sese præbuerit. Feminam autem haud indignam habens quæ scientiam et philosophiam penitus introspiceret, sibi tamen cum femina sensit agendum, neque sermonis veneres ab epistola rejiciendas quæ « totum Theophrasti myrothecium, omnes arculas, omnia scrinia unguentorum referta mitteret. »

Ejusdem philosophi et Academici de igne commentarium, « tametsi pluribus prope scatebat mendis quam verbis » in latinum Turnebus converterat ; cujus laboris audaciam apud Stephanum Poncerium, Turonum archiepiscopum, præfatiuncula quadam excusavit. Cum vero Poncerius, licet litteras sacras excolat, « philosophiam tamen observet », Theophrastum ignis vim naturamque perspicientem, varios usus describentem, ut alterum Promethea salutabit[3].

Plutarchi « de primo frigido commentarium » latine quoque conversum, Petrus Montaureus « consiliarius et bibliothecarius regius » munus accepit[4]. Huic enim libri colligendi custodiendique satis otii permittebant ut ipse nonnihil legeret et scriptitaret ; cumque « ratiocinandi et metiendi artes » exploraret[5], a rerum natura investiganda non refugiebat. Itaque quid de frigore sentiendum sit, cum Montaureo Turnebus agit ; hanc enim quæstionem in

1. Vide in clausula : « .. σεμνός τις ὄγκος καὶ ἀξίωμα γενναῖον καὶ ὑψηγόρον αὐτοῦ τοῖς ὅλοις ἐπιτρέχει δράμασιν.. κ. τ. λ. »

2. Epistola quadam latine scripta, anno 1556. *Opera*, II, p. 5-6.

3. *Ibid.*, II, p. 32, anno 1553.

4. *Ibid.*, II, p. 61, a. 1552.

5. Montaureus enim de Euclidis decimo libro commentarium edidit. (V. Teissier, I, 378. Cf. Haag, *France prot.*) — Fuit et idem latinus poeta, de quo nonnulla in alio capite infra dicemus.

incerto positam a Plutarcho queritur, « qui in rebus fere omnibus Academiæ dubitationem sequeretur. » Quid quod Turnebus « a cælo calorem omnem, a distantissima regione (scilicet ab ipsa terra) frigus propagari » existimat? cum et ipse nihil in rebus obscuris affirmandum tutius confiteatur [1].

Plutarcho id beneficium contulit ut ejusdem commentationes minus notas ac pæne ignobiles apud nos publicaverit; nimia vero fuit hominis modestia Gallandio suo declarantis « se culpa ingenii scripta Plutarchi vel detrivisse vel contaminasse [2] »; quibus verbis cum interpretationem suam significaret, simul facetam excusationem prætendebat : « Quanquam si reviviscat Plutarchus, ne græcum quidem asserat, ut ista tibi sint de malis græcis deteriora latina [3]. »

Talia scilicet grammaticos inter se confabulantes juvabant. Ubi vero cum Carolo Lotharingo « de oraculorum defectu » Turnebus disserit [4], rem altius agens non eruditionem solum, sed etiam christianam fidem suam patefacit. Ibi enim antiquitatem cum suo tempore conferens, homines « nullius fere rei majore studio et cupiditate duci, quam futura præsagiendi » conqueritur. Crescit autem in dies « infinitisque divinandi et vaticinandi generibus » error nefarius diffunditur. « Quis enim non hodie plus prope fidei Mathematicis et Chaldæis quam sacris libris habet? quis non ex hora sua seriem eventorum suorum trahi putat et recte facta ac vitia sideribus potius quam sibi adscribit? » Neque injuria Sylvium illum medicum recentiores astrologos deridentem Turnebus audivit [5]; qui ne anni quidem certiores vices tenerent, pluviam pro siccitate, vel vice versa prænuntiantes [6]. Cujates iidem pæne omnes evaderent, etsi ad Carolum Visium non aperte significavit, tamen haud ignorabat, cum astrologos e patria accitos Catharina Medicea prava superstitione coleret.

1. *Opera*, II, p. 61.
2. Vide epistolam « Plutarchi.. de procreatione animi in Timæo Platonis » libello præfixam (*Opera*, II, p. 67) : unde nonnulla supra retulimus.
3. Nempe subaudiendum est « latina prava fuisse quia græca in priscis exemplaribus pravissima fuissent »
4. *Opera*, II, 76 (anno 1556).
5. Sylvius enim, etsi Galeno maxime in aliis favebat, tamen eidem astrologos in testimonium ante judices evocanti sæpius contradixit. Vide *Jac. Sylvii opera medica*, Genevæ, 1635, in-f° (p. 363, 552, etc.).
6. *Opera*, II, 76.

Sed ad ea quæ Plutarchus disputavit, regrediens, antiqua oracula « non Deorum, sed vel dæmonum vel impostorum, ut Eusebius ait, orationem » Turnebus existimat; hac scilicet causa illa tandem deleta fuisse. Cum vero Ciceronis ætate « Delphis jam oracula cessarent », postremo « religione christiana Constantini pietate propagata », omnino siluerunt « et illud venerabile gentibus Apollinis simulacrum Delphis dejectum, ludibrio expositum, Constantinopoli in hippodromo jacuit [1]. »

Ad græcarum litterarum postremam ætatem descendentes, christiane, ut ita dicam, disserentem Turnebum etiamnunc audiemus. Sunt enim scriptores quos in lucem edendos non admodum curavisset, nisi « Christianismi » fontes simul ac veteris Ecclesiæ disciplinam exquirenda penitusque inspicienda rem maxime necessariam ac salutiferam habuisset [2].

Philonem Judæum ad eumdem Carolum « Cardinalem » miserat, cum epistola græca cujus mentionem supra fecimus [3]; at ea quæ de scriptore judicaverit, nunc exponenda sunt. Hunc enim primum laudat quod omnes liberales artes et disciplinas vinculo quodam inter se conjunctas senserit; theologiam ergo et philosophiam sibi invicem nullo modo repugnare quæ veluti consanguineæ geminæque dicantur. Itaque Philonis scripta toto pectore legenda sunt, in quibus utramque disciplinam ita sociavit et permiscuit ut quasi poculum jucundissimum ac salubre legentibus porrigeret : « ἑλληνίζων ἅμα καὶ ἰουδαΐζων, φιλοσοφῶντε καὶ θεολογῶν. » Idem cum « Platonicam musam » in ipsius templi penetralia introduxisset, alios philosophos veluti profanos procul esse jussit; quanquam ex eorum com-

1. *Opera*, II, p. 77
2. Sanctum etiam Cyprianum, Latinæ patrem Ecclesiæ, cum illis Græcis eodem studio Turnebus conjunxit; cujus operibus epistolam præfixam in alio capite explicabo.
3. Vide supra, p. 16. *Opera*, III, p. 56; de Philonis operibus editis (a. 1552) vide in indice.

mentis aliquid interdum desumpsit, ut quodam sale cibaria sua adspergeret [1].

Philonis ejusdem « de vita Mosis » libros tres in latinum sermonem Turnebus expresserat eo consilio « ut homines pii documentum vitæ exemplumque haberent, et in profano scriptore recognoscerent quæ in sacris libris legissent [2]. » Huic suo labori ne duplex reprehensio proponatur, Adrianus timet : una eorum qui « dictionem ipsius ut redundantem et audaciorem aspernabuntur » ; at sibi tale interpretationis munus usurpandum censuit ut Philonis copiam et verborum licentiam, quibusdam in locis poetarum consuetudini non absimilem, adumbratione quadam sequeretur. — Alterum est crimen « hominum iniquorum et de ingeniis hujus ætatis male existimantium qui omnem hujus temporis scripturam..., fastidiose et superbe damnant, et luteæ ædificiorum structuræ comparant. » Invidorum vero malignitatem deridens, « hæc lutea et fictilia » Odoni Castilionæo epistola latine præmissa obtulit [3].

Ut Platonis sapientiam Philo Judæus arripuit, ita Cyrenaicus Atticis in scribendi genere Synesius æmulatus est [4]. Qui etsi doctrina omni instructus, in sentiendo subtilis, in persuadendo concinnus merito dicendus est, tamen sanctæ ac veræ religionis præceptis nonnunquam aberravit. Namque primo vitæ suæ tempore Græcorum et Ægyptiorum fabulis vel ab omni veritate remotissimis toto studio incubuerat ; posterius vero Christianorum sacris initiatus nihil Apostolorum verbis traditis præferre visus est [5]. Synesium igitur Græcum magis quam Africum, bona mente Lancilotus Carlus, Græcorum amantissimus excipiet, cum præterea philosophi et episcopi partes uterque teneat.

Theologum Nicolaum Mallarium etiam græco sermone compellans de Sancto Clemente Turnebus præfatus est [6]. Illius vita nihil

1. *Opera*, III, p. 57.
2. *Ibid.*, II, 105-106 (anno 1554).
3. *Ibid.*, p. 106. De Odone Castilionæo, Turnebo patrocinante, vide supra, p. 10.
4. *Opera*, III, p. 58 (anno 1553), epistola græce scripta.
5. Scimus enim Synesium, Ptolemaidis episcopum, Arianis erroribus obstitisse (cf. Druon, *Étude sur la vie et les ouvrages de Synésius*, Paris, 1860, in-8).
6. *Opera*, III, p. 58. a. 1555.

prorsus utilius fore contendit, nihil autem jucundius ; quippe quæ fabulis quas poetæ in theatro docuerunt, rerum varietate haud impar, easdem veritate superaverit. Quin immo eos eventorum casus et commutationes ibi deprehendes quæ poeticum ingenium vix concepisset ; Deus enim ipse fabulam egit, qui sanctorum piorumque virorum exempla vel maxime miranda generi humano proposuit [1]. Illius generis prodigia, etiamsi hac ætate nostra nemo ante oculos vidit, tamen olim exstitisse Turnebus pro certo manifestoque sese habere profitetur [2]. Templum ergo sub aquis demersum quo mare refluens ad Sancti corpus subire sineret, rem impii falsam habeant qui probatissimis auctoribus credere nolunt [3].

Sed quid de Ecclesia catholica Turnebus etiam dixerit et senserit, infra videbimus. Nunc mihi præfationes ejus et epistolas, sive græcas sive latinas explicuisse satis fuit, ut ea quæ de scriptoribus, Græcis præcipue, judicavisset, ostenderem. Neque contendo illorum nemini ad alium judicem provocandum esse, cum unum aut alterum potius neglexerit quam condemnaverit. Sed, si non æqua diligentia vel studio de omnibus sententiam dixit, varia de variis jucunde et lepide retulit quorum alia pro illo tempore quo scribebat, nondum communia, alia pro nostro etiam nunc nova fuisse videbuntur.

Qui græcarum litterarum et amantissimus et peritissimus erat, hunc græcum sermonem in epistolis conscribendis interdum usurpare juvabat ; e quibus Athenas ipsas quasi redolere merito diceres, nisi verborum floribus oratio nimis exornata esset. At rebus et sententiis eædem pluris sunt existimandæ, si modo unam ad J. Camerarium, alteram ad P. Danesium exceperis ; verborum enim aut ultra modum superlatorum aut inane profluentium structuram quamvis artificiosam in utraque deprehendes.

Verum sunt ad familiares epistolæ ; cujus scribendi generis virtus forsitan habenda sit levissimum argumentum ornate vel facete dictis commendari. Ceteroquin confitentem reum habemus cum gar-

1. « ταῦτα ὡς ἀληθῶς ἐκ τοῖς ὁσίοις καὶ εὐσεβέσιν ἀνδράσιν ὁ θεὸς ἐδραματούργησε. » (*Ibid.*)
2. « ... εὔφημα καὶ εὔστομα ἐμοί τε καὶ πᾶσι λεγέσθω καὶ νοείσθω. » (*Ibid.*)
3. *Ibid.*, p. 59.

rulitatis suæ vitium Adrianus ipsi Camerario culpæ vertat : « τοιαῦτα γὰρ ἔστι τἀπίχειρα τῶν φλυάρους προκαλουμένων. » Camerarius enim, cum græcæ linguæ callidissimus, tum christianæ fidei summa pietate addictus Adrianum epistola græca præoccupaverat, quacum de Christi natali carmen divino spiritu concitatum conjunxerat [1].

Petrum autem Danesium cujus auctoritate et amicitia Turnebum nisum esse diximus, longiore sermone quam necesse fuit, prosecutus est ut aliquo tandem opere publicato insignis ingenii sui ac doctrinæ omnes litterarum studiosos participes ille faceret [2]. Nihil enim, si Turnebo credimus, usque ad hoc tempus (qualecunque est), Danesius in lucem protulerat : at si non nihil, perpauca quidem cum mortuus est, posteris reliquit [3]. Sed enim episcopum legatumque Gallicæ ecclesiæ res in Concilio Tridentino tuitum rex Henricus II humanioribus litteris invidit.

Turnebi igitur poemata latina mox aggressurus sum, si prius quosdam libellos de methodo, de calore, de vino prosa oratione conscriptos leviter attigero. Quibus cum in editione Argentoracensi occurrissem, jam pæne in eo fui ut eos silentio præterirem ; nec patris memoriæ Stephanus Turnebus injuriam fecisset, si in chartarum colluvie sepultos reliquisset. Illam enim de methodo [4] qui legerit dissertationem, inconditam languidamque mecum, ni fallor, judicabit ; hic etiam contra Rami dialecticam Adrianus impugnavisse mihi videtur ; quidnam « de methodo » Plato, Aristoteles, et Cicero, Galenus denique dixissent, longius exposuit ; ipse autem conclusit omnis scientiæ rationem atque viam in partibus cujusque rei dividendis admodum jacere, quod Græci τὴν ἀνάλυσιν nominaverunt.

De calore vero non omnia incassum disseruit, siquidem Græcorum

1. *Opera*, III, p. 59. His autem ad Joach. litteris nullum temporis indicium adscriptum est, nisi hæc in subscriptione : « ἀπὸ Λευκετίας μαΐου ιε. » (Lutetiæ, 15 die maii.)
2. De hac epistola nondum edita vide in appendice.
3. C. Plinii (majoris) opera a Danesio qui in præfatione Bellocirii cujusdam sui familiaris nomen posuit, anno 1532 edita fuisse constat. Alia vero quæ Danesius scripsit, materies ad opus collecta, vel commentarii leves habenda sunt. Vide apud Goujet, *Coll. Royal*, t. I, p. 385 et sq.
4. *Opera*, III, p. 1 et sq. Adde quod imperfecta sine conclusione jacet.

diversas opiniones retulit ; quæ tamen ne apud ætatis nostræ physicos vana somnia videantur, verendum sit [1].

Unum de vino libellum in loco honestiore ponendum libenter concedam, licet eo facetior omnis satira habenda sit quo brevior [2]. Nempe se cum vino decertaturum Turnebus declarat ; se tamen vinum sæpius bibisse confitetur ; ergo rei incommoda cum expertus sit, alios peritissime docebit. Verumtamen hanc disputationem ad graviora scriptor deduxit, dum adolescentes quorum vinum corpus ardore suo accendat, pæne ad senectutem immaturam ruentes ostendit, viros jam ad mortem eodem veneno præcipitatos. « Quod si in uno homine vinum id efficere potest, tot sæculorum tabe quantum noxæ, quantum detrimenti, assiduo ejus haustu contractum putamus, vitio a parentibus in liberos abeunte, et ab iis deinceps propagato... et subinde vetustate se corroborante [3] ? » Nonne pestem istam qua, ætate nostra, per vicos et urbes ingravescente genus humanum laborat, Turnebus nos ipse præmonuit ? At sui temporis quam fuerit interdum castigator acerrimus, ex ejusdem carminibus planius apparebit.

1. *Opera*, III, p. 10 et sq. Ceterum ista brevius Turnebus exposuit in illa epistola quam Plutarchi « de primo frigido » libello præmisit ; vide supra, p. 29 et 30.
2. *Opera*, III, p. 17 et sq.
3. *Ibid.*, p. 25.

SECUNDUM CAPUT

Quid de patria rebusque publicis
Adrianus Turnebus in poematis dixerit.

I

De capto Caleto Henricique secundi laudibus; quas partes inter alios illius regni præcones Turnebus egerit.

Quæ de rebus gallicis Adrianus Turnebus carmina condidit, ad Henrici secundi regnum pæne omnia relata sunt; quippe qui illo ipso anno quo Henricus patri succederet, regio collegio inscriptus, non multo longius post ejusdem obitum vitam produxerit. At Francisci secundi perbreve regnum, Caroli noni primordia Turnebus vidit : tempora vero turbata civilique furore funestata quæ prudentis viri mentem malo velut omine contristare visa sunt. Cum autem Henricus belli domique non omnia feliciter gesserit, nec illius Francisci primi erga litteras scriptoresque laudes adeptus sit, tamen de suis bene meritus est, qui hostibus profligatis Galliæ fines latius duxisset. Liberales autem disciplinas, auctore Carolo Lotharingo, florere sivit[1]; dumque poetis regis soror eruditissima favet, poetas gratos rerum suarum præcones rex habuit; inter quos Adrianum Turnebum non inferiore in loco ponendum merito dicemus.

Versibus alternis, sive distichis octo principem adolescentulum pro patre apud Hispanos obsidem memoravit[2]; eumdem jam adultum regnique sui quintum agentem annum, dum Lotharingiæ tres urbes occupat, transque Rhenum imperatorias copias urget,

1. Vide supra, p. 17.
2. *Poemata*, p. 109.

amplius elatiusque carmen, hexametro versui quatuor iambis respondentibus[1], in scenam inducere videtur :

Ut metata suas tentoria vidit ad undas
        Rhenus bicorni gurgite,
Hausit et ignotæ vocis commercia, semper
        Ori adsuetus Teutono :
Obstupuit, lymphisque suis piger alveus hæsit
        Defixus ad spectaculum.

Quippe quod mirum novumque fuerit, siquidem Gallorum exercitus nunquam antea Rheni vallem calcaverant. Hujus autem expeditionis audaciam quamvis extollamus, incassum nostros usque ad Argentorati mœnia processisse fatendum est. Germaniam, Henrico vindice, liberatam et exsultantem Turnebus prædicabat; Germaniam nesciebat jam nostri fœderis pænitere, Saxonemque Mauritium qui Carolum imperatorem trans Alpes fugavisset, Caroli partes, armorum subita conversione rursus complexurum[2]. Neque vero annus 1552 erat absolutus, cum Mettas imperator ipse Albanusque dux, sexaginta millibus militum sequentibus, obsidebat. Hoc in tempore gravissimo, vir egregius, manu fortis bellique peritus, Lotharinga domo, Visiorum princeps Franciscus exstitit, Mettarum intra mœnia tam acriter propugnans ut hostes obsidionem non sine grandi detrimento solvere cogeret.

Cujus Francisci cum præclare gesta, tum minus felices casus in illo de capto Calisio poemate, additis aliquot versuum fragmentis, Turnebus postea complexus est; sed annorum interjectorum octo seriem cursim evolvere mihi liceat. Postquam in Belgarum Atrebatumque finibus æquo fere Marte utrinque pugnatum est, Visio summus imperator leviore cessit prœlio, his versibus amplificato :

1. *Poemata*, p. 109; « De expeditione Errici II in Germaniam ». Hic « stropha pythiambica prima in qua hexametrum dactylicum dipodia iambica excipit » Turnebus usus est. Vide apud Horatium, Epodon in carmine XV. (præfatio Orellii I, 19).
2. Hoc ergo carmen, anno 1552, mense julio, post Mettas, Tullum Verodunumque oppida recepta, fœdere apud Passavium nondum concluso, Turnebus scripsit. De Mettis expugnatis, vide quoque *De capto Calisio* poema (p. 12).

tu frangis equestres
Victor scloporum [1] cuneos ad Rentia castra;
Te Belgæ timuere truces, te fortis Iberus;
Te prope Cæsarea fugit statione relicta
Carolus, ut trepidas vidit nutare cohortes [2].

Cum vero imperii ejurati unam partem filio, alteram fratri Carolus, tanto rerum pondere defessus, imposuisset, res Gallis in pejus adduci cœptæ sunt. Namque Paulo IV pontifici temere succurrens, in Italiam Visium Henricus misit [3], hoc temporis momento quo Picardiæ fines Philippus II, conflatis e Belgica Rhenoque copiis erat invasurus. At nihil rex Italis, nihil Italo pontifici credere debuit; quippe qui dictis manere fidemque servare minime solerent; fuit autem illo sæculo verbum decantatum nec omnino falsum Italiam Gallorum quasi sepulchrum exstitisse [4]. Quod si vitam Visius non perdidit:

salva reportans
Signa domum [5]...

nihil prorsus ex Italia lucri retulit; quem de rebus infectis sese verbis excusantem prosopopœia quadam Turnebianum carmen induxit: scilicet ipsum Neapolitanum regnum occupaturum fuisse,

Ni temerata fides illic pollutaque turpi
Fœdera sancta forent caupona, et perfidus hostis
Æquato velut ancipites examine lances,
Inclinasset eam in partem, propensius unde
Auri pondus erat [6]...

1. *Sclopos* vocavit Turnebus equites hoc telo armatos quod Itali *schioppetto* dicebant: unde gallice *escopette* vox facta est. Hispanis autem erant equites *Carabini* nomine appellati: unde vox *carabine* ad nos evasit. — *Scloppus* (sive *stloppus*?) vox fuit latina qua e buccis inflatis sonitus erumpens exprimebatur (v. Persii satiram V, versum 13), unde forsitan vox Italica. (V. Du Cange, *Glossarium mediæ et infimæ latinitatis*: ubi *sclopus* (miles) dicitur etiam *sclopetarius*: (cf. Ménage, Dict. *étymol.*).
2. *Poemata*, p. 23. De Mettarum obsidione versus eidem loco præcedentes vide. — Apud Rentia pugnatum est anno 1554.
3. Anno 1557.
4. Quod in quodam loco J. Bellaius memoravit. (*Œuvres*, édit. Marty-Lav. t. I, p. 312).
5. *Poemata*, p. 24.
6. *Ibid.*, p. 15.

Quæ fuerit ista caupona, quis et caupo moras primum inserens, deinde « socialia distrahens arma », Visii verba satis plane demonstrant [1]; nec tantum a Romano pontifice se deceptum illusumque indignatur; Albani ducis ignaviam vehementius quam rectius arguit, quod in Civitellæ mœnibus clausus ille sibi aciem detrectaverit [2].

Istam intempestivam trans Alpes expeditionem secum poeta reputavisse mihi videtur, in quodam fragmento quo « Francum res suas male perturbare solitum queritur, dumque longinqua capessat, propinqua relinquere [3] ».

Annales evolve tuos et damna recense:
Quid Pelusiaco bellum indixisse tyranno
Profuit? ad Tyrias quid tendere classibus arces [4]?
Et toties vanis tentare Neapolin armis?

Cum de Visii manibus « fortuna elapsa recedebat [5] », in Picardiæ finibus, ad Augustam Veromanduorum Philibertus Sabaudus Annam Memorantium magna pugna devicit [6], oppidumque ab insigni Colinæo quamvis acerrime defensum expugnavit. Tantæ cladis recentem memoriam in ipsius de Caleto panegyrici proœmio poeta renovare non dubitavit ut rebus secundioribus majorem lucem afferret:

ubi lætorum seriem transversa repente
Interrumpit atrox sævo fortuna tumultu,
Se virtus animosa movet segnemque veternum
Excutit [7]...

Namque gravis procellæ minis obsistens, Caleti vi recipiendi consilium rex animo conceperat; cujus obsidionis difficultates Turne-

1. Cf. *Poemata*, p. 24.
2. *Ibid.*, p. 15.
3. *Ibid.*, p. 105.
4. Bella scilicet pro Christi sepulchro liberando suscepta Turnebus significavit.
5. *Ibid.*, p. 15.
6. Anno 1557, sextilis decimo die; nec modo devictum, captum, ut scimus, fuisse Memorantium alius poematis locus retulit; *ibid.*, p. 25.
7. *Ibid.*, p. 7.

bus exponit, oppidi situm exacta vividaque narratione describendo [1]. Tum belli causas ab ultimis temporibus repetit, cum de Aquitanæ Eleonoræ dotalibus mentionem faciat [2]. Salicam vero legem si non perfregit, certe, Philippo nostro apud Cressiacum fuso fugatoque, Caletum longam post obsidionem imperio suo Eduardus adjecit [3]. Neque illius per centum annos cum Anglis belli decertati vices alternæ Turnebo fuerunt enumerandæ ; saltem Carolum septimum Lotharingamque virginem prætermittere noluit, patriam tellurem ab hoste pæne totam liberantes ambo, nisi Carolus ad extremam victoriæ metam hærens Caletum tentare dubitavisset :

Ista, Errice, tibi provincia dura relicta est [4].

Qui versus ad hujus regni facinus inclytissimum legentem adducit. Scilicet usque ad undecimum mensem prius restiterat Anglus quam oppido potiretur ; idem, anno ineunte 1558, Kalendis januariis, a nostris obsideri cœptum est ; decimo post die, jus in nostrum rediit [5].

De strenis Henrico regi quas Janus præsenti numine, vel potius victrici dextra Visius attulerit, Adriani Musam ludere juvat, juvit et alios poetas quibuscum hic conferendus est. Hieme vero quo tempore nullum ad bella commovenda magis alienum videretur, Visium minime deterritum esse omnes etiam collaudabunt. Quin immo victoriæ signum quo Deus incepto faveret, fuit interpretatum repente frigus relaxari insuetamque ac pæne vernam temperiem obsidentes adjuvare [6].

1. *Poemata*, p. 9. « *Est locus extremis*, etc. ».
2. *Ibid.*, p. 10.
3. Anno 1347.
4. *Poemata*, p. 11.
5. *Ibid.*, p. 11.
6. *Ibid.*, p. 8-9 : cf. p. 16 et 25. — Inter alios poetas de quibus infra dicam, primus auctor hoc in loco ponendus est Jodellius qui latinas inscriptiones sive epigrammata gallico sermoni inseruit, in libello quodam ita dicto : « Le recueil des inscriptions, figures, devises et masquarades ordonnees en l'hostel de ville à Paris, le jeudi 17 de fevr. 1558, par Est. Jodelle, Parisien » ; quem *Marty-Laveaux* in sua Jodellii editione iterum publicavit (t. I, 231 et sq.) ; vide ad p. 243 tres versus quibus hæc mentio præscripta est : « *Jano Gallico...*, jam non respexit utrinque. » — Cf. *ibid.* « gelido sol sydere vernans », etc. — Verum ut ad Turnebum redeam, hunc

Ubi primum ruinam conquassati muri traxere, aditum impetu acerrimo corripientes Strozium Aumalumque videres, qui Anglorum turbam depulsam usque sub eminentis arcis propugnaculum persecuti sunt. Hoc temporis momento gravissima dubitatio nostrorum animos anxit, an obsessi firmiter usque contenderent dum maris recurrens fossam circumductam æstus complevisset. At viæ horæ sextantem Anglorum præsidium in arce duravit, cum gallico furore perturbati se præcipites fugæ dederunt [1]. Sed antequam rem omnino confectam litui cecinerunt, obducta jam nocte, Gallos arcem occupantes Anglorum reliquiæ recollectæ rursus novam obsidionem instaurabant, ancipitique strage semiruta munimenta conspergebantur, cujus testis, sublustri cælo micans, luna fuit :

Qualis Olympiaca sedet olim in gymnade judex,
Solemnes referunt sacra cum quinquennia ludos.

Tandem refugo mari, fugatis et hostibus, Francorum signa victricia Caletumque Visio deditum dies albescens illustravit [2].

Hujus insperatæ cladis ubi nuntius Anglorum reginæ fuit allatus, regalem amictum illam ferunt laceravisse pectusque dextra planxisse, sibi mortem consciscere cupientem ; quippe quæ maledicentis populi votum mente desperata præoccuparet [3]. Verum de femina devicta non satis modeste Turnebus triumphum egit ; ficta quidem veraque miscuit, « anum vetulam tristemque Megæram » Mariam Tudorem vocans, quæ vix annos tres et quadraginta nata mortem obiit. Eamdem vero non infitiandum est, nobilitatis principibus exsilio vel morte mulctatis, sui ipsius regni vires extenua-

Virgilii nobiliores de noctis prima quiete versus ad hiemen sibi depingendam nimia imitatione transtulisse fateor :

Tempus erat quo bruma rigens grave frigus anhelat,

...etc. (*Poemata*, p. 15 et 16).

1. Arcem protegebat magna mole turris quam « Risban » gallice vocabant. (V. Baïf, *Œuvres*, II, 149 ; cf. P. Gallandii, *de Caleto recepta carmen* : « Risbanicamque Pharon Per medios æstus reflui maris... »
2. *Poemata*, p. 17 ad 19.
3. *Ibid.*, p. 19-20.

visse, populique totius odium in se merito convertisse, cum externo marito, patrii generis oblita, nuberet [1].

Alter itaque vultus, illius figuræ quasi consociatus, a poeta feliciter ostenditur, Philippi secundi regis quem Hispaniæ Britanniam per id connubium adjuncturum Carolus imperator prævideral. Nempe Galliam funditus evertendam ambo, virque feminaque sperabant; fatorum nescios ambo jam rex Henricus, prosopopœia quadam in poemate cum Visio loquens, his verbis increpuit :

> Faxo sua mihi cum Cleopatra Antonius amens
> Expendat pœnas et supplex arma recondat [2].

Rhetoricam enim artem ad poeticam convertens, nunc Philippum inducit spes afflictas secum complorantem immensique sui imperii partes diversæ ne simul uno ictu collapsæ ruant, reformidantem ; Caletum jam liberatum maris reginam fore, Belgicæ cervicibus urgentem :

> Avertetque tuas lembis, Anterpia, merces,
> Prædatrixque avidi dirimet commercia mundi [3].

Dum Philippus conjuxque Britanna invicem ejulant, ex alia parte Galli victoriam festis diebus concelebrare, Francisci Visii præclare gesta commemorantes. Neque de Carolo fratre, Lotharingo cardinale, Turnebus siluit ; cujus consiliis, dum bellum alter sustinet, civitas regebatur, quem regni prudentissimum adjutorem Henricus expertus est [4].

1. *Poemata*, p. 13 ; cf. p. 20.
2. *Ibid.*, p. 13. Eadem comparatione Jodellius usus est (*Marty-Lav.*, I, p. 253).

> In furias furiata pares Cleopatra maritum
> Ista trahit, licet absit amor...

Hi versus inscripti fuerant tabula in qua mare cum duabus triremibus depictum erat : quibus Jodellii versibus utrum Turnebi poema anteiverit, annon, nescio : at certe Virgilii in Æneidos octavo libro locus sublimis neutrum fugerat.

3. *Poemata*, p. 21-23.
4. *Ibid.*, p. 23-24 (cf. *epinicion de Calisio capto* ab Leodegario scriptum), p. 108. « *Nam Visius heros...* », etc. — Carolus enim Lotharingus, e provinciis legatos ad se Lutetiam acciverat, ut ab eis ducenta millia nummorum mutuationem impetraret : pecuniam vero ab eis negatam urbes ipsæ et Parisiorum civitas conferre jussæ sunt : hanc ad fratrem ne commeatus stipendiumque deficeret misit. (V. Guillemin, p. 67.)

Capto Caleto, Vinarum arces « ingenti mole turritas » corruentes Turnebus ostendit [1], amplissimumque carmen amplæ materiei haud impar confecit, postquam vehementi peroratione regem obtestatus est ne laureis comparatis indormiret [2] ; nec insanum votum fuit, ut a poeta conceptum ; bellum enim cum Hispanis acrius fuit urgendum, nedum pacis conclusionem, victoriarum quasi pænitens, Henricus festinaret.

Sed antequam regni deficientis annum supremum complectamur, nonnullos e poetis qui et Caletum captum suis versibus cecinerunt, cum Turnebo breviter conferamus. Quantus eorum proventus exstiterit, concinnis alludens distichis animadvertit :

> Calisium quidni possis Helicona vocare ?
> Quo capto vatum est tantus in urbe chorus ?
> Quæ modo vix tacitis mussabant tecta susurris,
> Undique cygnæo carmine pulsa sonant.

Jam pæne timendum fuit ne quilibet e multis, invita Minerva, versus exararet :

> Corve poeta canes, fiesque poetria pica,
> Altera si laudem laurus honora ferat [3].

Id etsi Turnebus in hoc de Caleto poemate siluit, tamen in aliis versibus nobilitati suam in hoc tempore avaritiam exprobravisse mihi videtur.....

> Sed quotus e nostris jam publica commoda curat,
> Erogat atque unum quis regni viribus assem ?
> poterant sestertia centum
> Militiam tolerare virum... »

Poemata, p. 121.

Cf. Bayfii de Caleto Vinisque captis carmina. (*Œuvres*, II, 148 et sq. ; édit. Marty-Lav.)

1. *Poemata*, p. 24-25.
2. *Ibid.*, p. 26-27. — Cf. brevissimum fragmentum ubi Rhamnusiam virginem vel Adrastiam, illam scilicet a Græcis Nemesin vocatam, « Ibero truculento » superboque minitantem ; istum autem « jam supplice vultu » pacem efflagitantem Turnebus descripsit. (*Ibidem*, p. 122-123.) — « Epinicion » autem « de Calisio capto » quod Adriani Turnebi poematis cum Parisiensi (p. 106-108), tum Argentoracensi editione insertum est, Leodegarius a Quercu scripserat et ediderat (vide librorum indicem) ; qui versus, elegantes quidem, nihil novi in materiem exhaustam attulerunt.
3. Id est, si alteram victoriam Henricus II referat. Eadem verba ironice conjuncta apud Persium legimus « Corvos poetas et poetrias picas » (Prol. 13).

Poemata, p. 27. « De proventu poetarum Calisio capto. »

At cycni tantum ante judicem Apollinem evocentur : cuinam palmam concedet ? — Equidem mihi in animo non est quidquid de eodem argumento ceteri poetice condiderint, rursus expromere ; neque legentem ista cantilena defatigare vellem, cum jam supra Jodellius exemplum mihi præbuerit [1]. Sin autem latinos spectes, de Joannis Aurati versibus, utpote mediocribus, lis non erit [2] ; Gallandium etiam, cujus voluntatem magis quam facultatem poema patefecit, prætermittam [3]. Turnebo vero proximos Buchananum et Hostalem fuisse censeo ; quorum ille lyrico quodam impetu strophas egit :

Lorena virtus, sueta per invia
Non usitatum carpere tramitem,
Invicta devincendo, famam
Laude nova veterem refellit [4].

Hic res quasi cursim enarratas gravissimis sententiis illustravit, ut suam erga Deum patriamque summam pietatem significaret :

Nos hanc gloriolam potius laudemque sinamus
Invicto fortique Deo : turgentia Regum
Colla superborum qui proterit et pede calcat [5].

1. Vide supra... p. 43, n. 2.
2. Vide « Jo. Aurati Lemovicis... poematia » cum Buchanani carminibus in eodem libro inserta (Basileæ, 1568), p. 123, « carmen alternum : loquuntur inter se Nuntius et Vulgus Gallicum » — et p. 125 : « alternis loquuntur duo de plebe Gallica. »
3. « De Caleto recepta et rebus a Francisco Lotharingo Duce Guisio, auspiciis Henrici II gestis, carmen elegiacum — Parisiis, apud Fed. Morellum, 1558. » (in-4°) ; in exemplari quod vidimus (*Biblioth. Nat.*, Y. 2245) quidam hæc in prima pagina manu scripsit « P. Gallandii Regii Lutetiæ doctoris », quæ nota in ejusdem bibliothecæ catalogum (1750) relata est. In extrema pagina Joach. Bellaii « in laudem Fr. Lot. Guis. ducis » distichos typographus posuit (qui in ejusdem latinis carminibus, f° 30 verso leguntur).
4. « De Caleto nuper ab Henrico II Francorum rege invictiss. recepta, Georgii Buchanani carmen. Lutetiæ. Ex officina Roberti Stephani. 1558 » (in-16 ; *Biblioth. Nat.*). Quare admirandus est error illius Basileæ voluminis editi ubi hoc carmen inter Adr. Turnebi poemata insertum est. (*Ibid.*, secunda pars ; p. 24 et sq.) Alcaicam autem stropham his in versibus Buchananus usurpavit.
5. Vide in eadem Basiliensi editione : « *Mich. Hospitalis... poematum silva* » secunda pars, p. 88 ad 92 : « *De Caleti et Guinæ oppidorum... expugnatione...* » ; cf. *ibid.*, p. 92-94 : « *In reditum Francisci Lotareni Guisiorum ducis* » ; quæ carmina ipso anno 1558 Mich. Hospitalis apud Robertum Stephanum ediderat ; (v. Renouard, *Annales des Estienne*, 2e édit., p. 163.) — iterumque anno 1560, apud Federicum Morellum, cum aliis de Francisci Visii præclare gestis versibus.

Turnebus autem etsi narrationem in longius interdum traxit, tamen prosopopœis, ut vidimus, feliciter usus est.

Sin ad Gallos conversus eris, Baïfii versus nimis salebrosos durosque judicabis [1] ; Bellaquei carmen mollius dulciusque fluens eo reprehendes quod Visiorum gentem usque ad astra laudibus extollens de Caleto plane siluit [2]. Joachimum certe Bellaium sublimiore quodam instinctu ceteros æmulos superavisse profiteberis, si ad regem ὕμνον dicatum, Deorumque Vinas tutantium evocationem, illud denique in Britannos exsecrabile carmen perlegeris [3] ; epica vero gravitate in historia sui temporis evolvenda præter ceteros Turnebus eminuisse videbitur [4].

Idem et alii versus, ultimam Visii Francisci per Mediomatricum fines expeditionem describentes mihi probant, quibus de fortunæ ludibriis poeta præfatus est. Istam enim nuper viderant potentissimos principes

quos purpura vestit
Et solio imposuit patriæ diadema tiaræ

de tanto fastigio repente dejectos suis veluti telis improbam confodere [5]. Talis autem rerum mutationis novum et insigne documentum Theavilla præbuit. Haud procul a Mettis, ad Mosellæ ripam

1. *Œuvres de Baïf* (édit. Marty-Laveaux, t. II, p. 148 et sq. « *Remonstrance sur la prinse de Calais et Guine.* »
2. « *Ode présentée au duc de Guise à son retour de Calais, par Remi Belleau.* 1558 (édit. Marty-Lav., t. I, p. 196 ; *1re journée de la Bergerie*).
3. *Œuvres de J. Du Bellay* (édit. Marty-Lav.), t. I, p. 310 et sq.
4. Petrum Ronsardum silentio præterii ; quippe qui Caleti nomen hic et illic, quasi cursim enuntiaverit. Vide ejusdem ad Carolum Lotharingum et regem Henricum carmina quæ ceteroquin bellicum quodam modo canunt. (Edit. Marty-Lav., t. IV, p. 228 à 241 ; t. V, p. 188 et sq. et 199 : cf. V, 263 mortui Francisci Visii prosopopœiam.)
5. *Poemata*, p. 118, fragmentum I, his verbis incipiens : « *Ergo nefas videre Dei...* » — Hoc prooemio Farnesiam gentem significatam esse puto. Scimus enim Petrum, Pauli III pontificis filium, cum dux Parmensis electus esset, anno 1547, rebellione quadam excitata, a conjuratis trucidatum esse ; cujus Petri nothum, Horatium nomine Farnesium qui Castremonium « ducatum » acceperat, in Hesdini mœnibus ab Hispanis oppugnatis anno 1553, mense julio occisum, cum paucos ante menses Henrici II notham Dianam in matrimonium duxisset. Vide « in Horatii Farnesi necem » Mich. Hospitalis carmen (apud Fed. Morellum, 1560 ; f° 16). De ejusdem obitu cf. Joach. Bellaium (édit. Marty-Lav., II, 149-155). — Cum autem de recentiore facinore, Theavilla scilicet expugnata, Turnebo dicendum esset, præteritorum tamen memoriam revocatam esse nihil admirandum est.

oppidum sedebat, sublimibus horrens mœnibus paludisque stagnantis objice circumdatum ; hac Visius iter impervium tentavit, ut alter Hercules Argivam paludem desiccans, naturaque superata Theavillam expugnavit [1].

Hanc urbem cum pluribus quam necesse fuisset Hispanis indigne restitutam, pace apud Castellum Cameracense conclusa, Gallicus ille Poliorcetes vehementer questus est [2]. Pax vero non omnino infausta irritave nobis cedebat, quippe quæ Mettas Leucorum Tullum Verodunumque nostris finibus adscriberet, Caletum tandem ab Anglorum ditione liberaret. Adde quod Henricus II connubiorum vinculis solerte consertis socios sibi paraverat ; non quod Hispanorum regi Elisabetha Valesia nubens patrem esset adjutura ; sed Henrici sororem cum Philibertus Sabaudus duxisset, Taurinorum aula Gallos gallicasque litteras liberaliter excepit.

Hanc Margaritam, illi primæ fere non imparem (scis enim et tertiam eodem sæculo apud nos Margaritam exstitisse), festivo epithalamio Bellaius gallice prosecutus est [3] ; cujus de nuptiis etsi Turnebus siluit, reginæ tamen quam esset addictissimus, et illa præfatione supra relata [4] et aliis versibus declaravit quibus Hospitali gratulabatur :

quem gemma decusque
Sidereum nostri veneratur Margaris ævi,
Pegasei tutela chori Phœbique patrona [5].

Noli vero credere Turnebum tam tristi ingenio fuisse ut ab Hymenæo canendo repugnaret. Etenim Francisci Valesii Delphini et Mariæ Stuartæ, Scotorum reginæ, multis versibus epithalamium conscripsit [6], quo nihil lepidius invenires, nisi græcarum fabularum ornamenta mutuans Deorum Dearumque catervam nimis confertam ab Olympo poeta deduxisset. Attamen marinis numinibus hunc esse locum non insulse dixit :

1. *Poemata*, p. 118-120 : Theavilla anno 1558, 22 die junii expugnata fuit. Cf. de eadem Mich. Hospitalis carmen. (*Ibid.*, f° 13 et sq.)
2. Anno 1559, tertio die mensis aprilis.
3. *Œuvres de Du Bellay* (édit. Marty-Lav., t. II, p. 565).
4. Vide supra, p. 29.
5. *Poemata*, p. 50.
6. *Ibid.*, p. 28-35.

Res agitur nam vestra ; mari circumflua magno
Insula, quam mediis fundat Neptunus in undis,
Nereidi Scotæ regno possessa paterno,
Delphino dotalis erit mox regia Franco...

Jam Nereidem se ipsis formosiorem non sine quadam ægritudine suspiciunt deæ omnes quæ fontes aut sylvas incolunt :

Hæc gemmam superat, rutilum quæ dividit aurum,
Bacchatum hæc eadem superat formosa monile.

Invidet et ipsa Venus devicta ; nefandam igitur mentem concipiens ad magicas artes carminaque recurrit, ut reginæ virginis « vultum varis deformibus » populatum dehonestet. Sceleris autem istius atrocitatem non tulit Juno, Veneris æmula, non Pallas ; jamque medicinæ quemque peritissimum, Chirona, Melampum, Æsculapium, Pæonem et ipsum Apollinem ad auxilium vocare festinant ; Hippocrates denique et Pergameus Galenus etiam reposcuntur ut Mariæ Stuartæ formam amissam suis artibus restituant [1].

Hæc Olympus agit, dum in terris Britannæ reginæ dicaci versu poeta irridet, quod

Effœta sterilique nurus nuptura senecta

tardos amores secum meditatur :

Qualis in Idæa mater Berecynthia silva,
Formosum deformis anus quæ deperit Atyn [2].

Mariam vero Stuartam « primævo sub flore » nitentem natu minor ducere Franciscus gestiebat ; cumque ambobus ea vincula Carolus « cardinalis » conciliavisset, donum connubiale Belgicam suis armis partam Henricus pater allaturus erat, si modo poetæ votum Deus æquiore numine suscepisset [3].

1. *Poemata*, p. 29-31.
2. *Ibid.*, p. 32. Elisabetha, antequam Mariæ sorori successit, se Sabaudo Philiberto nupturam negaverat : at, si reginæ maritus defuit, cum amatoribus se ipsam solata est.
3. *Ibid.*, p. 32-35. Hoc igitur epithalamium ante pacem omnino conclusam conscriptum est. De iisdem nuptiis cf. Joach. Bellaii (Marty-Lav., I, 316), Baïfii (*ibid.*, II, 323) gallice carmina ; Georg. Buchanani (in Basiliensi edit., p. 106) ; Mich. Hospitalis (*ibid.*, p. 100 ; secunda pars) latine.

Sed enim vix Hymenæi cantus erant personati cum inviti sui comitis hasta vulneratus, ludicrum post certamen, rex obiit; cujus immaturum tragicumque funus illi defleverunt qui victorem cecinerant [1]; flevit et ipse Turnebus Joachimi Bellaii funebre [2] carmen his excipiens versibus :

Immerita regem sic luges morte peremptum
  Flebilibusque citas carmina mœsta modis,
Integrat Actæas ut aedon orba querelas,
  Et sua vocalis funera cantat olor.
Debueras alia, rex optime, morte perire :
  Mors tua non alio debuit ore cani [3].

II

De civitate gerenda jurisque dictione describenda; quo modo Hospitalis edicta Turnebus præmuntiaverit; de aliis magistralibus aut jurisconsultis ab eo laudatis; de quodam pessimo legumlatore.

Qui patriæ gloriam carminibus extulerat, rem publicam in melius adducendam Adrianus Turnebus minime neglexit. Sit autem bene morata civitas illa quæ legibus ad summam juris rectique normam descriptis utatur, cui vero vir quisque publicus ita faveat ut communem utilitatem sua voluntate prosequatur. Primorum igitur avaritiam, ut supra diximus [4], Turnebus ægre ferebat, cum epularum deliciis indulgentes plebis conditionem miserrimam pro nihilo ducerent; nam plebi :

1. V. « Epitaphium in mortem Henrici Gallorum regis christianis. ejus nominis secundi. per Carolum Utenhovium Gandavensem et alios, duodecim linguis... [cui titulo gallica interpretatio respondet : Epitaphe sur le trespas, etc... plus les epitaphes sur le trespas de Joachim Du Bellay, poete latin et françois] A Paris... Robert Estienne 1560, in-4. » Hoc in libello, inter alia, Baïfii et Bellaquei carmina leges.
2. « Tumulus Henrici II Gall. regis Christianis. per Joach. Bellaium. Idem Gallice totidem versibus expressum per eumdem. Accessit et ejusdem elegia ad illustriss. princ. Carolum Card. Lotharingum Parisiis apud Fed. Morellum. 1559. » (Cf. édit. Marty-Lav., II, 465 et note 566.)
3. *Poemata*, p. 96. Henrici « sui » obitum in alio carmine de Georgio Bona Transilvano Turnebus cursim commemoravit. *Ibid.*, p. 95, ad versum 8.
4. Vide supra, p. 43, n. 4.

Vix et adest quo dira fames, quo tristis egestas
Pellatur, vix est animam quo ducat et ægram.

Quid de vestium immodico luxu, de vasis aureis cælatisque poculis super addendum? Rapaces Harpyiæ populum pæne totum, ut alterum Phinea, principes necant et exhauriunt, cujus jam spolia velut opima fiscalium conquisitores præoccupaverunt [1].

His interioribus mallis Galliam distrahentibus remedium allaturus erat vir animo simul et ingenio præstantissimus Michael Hospitalis, qui Turnebum suæ mentis conscium rerumque mutandarum si non adjutorem, at certe præconem non fastidivit. Nempe Turnebus in sui prooemio carminis « de minimorum judicum jurisdictione tollenda » sese subtiliter excusavit quod « cancellario » consiliandi partes audacius assumeret : aquilam enim, quanquam oculis utentem acerrimis, opimas tantum aves despicere, blattis vermibusque neglectis :

Sic tua majori rerum mens pondere pressa
Ac districta nequit spectare negotia parva ;
Quæ quia nos humiles exercent sæpeque lædunt
Cernimus [2]...

Attamen Hospitale non invito eosdem versus conscriptos fuisse liquet, quorum editio leges ab illo de jurisdictione apud Aurelianum edictas uno anno, præscripta vero Molinensia multo longius anteivit [3].

In hoc prooemio duplicem ab Hospitale personam actam Turnebus expressit, virum publicum scilicet ac poetam, illum tamen majore studio amplectens, cum alias [4] hunc magis singillatim allocutus sit :

1. *Poemata*, p. 121-122 (fragmentum).
2. *Ibid.*, p. 62-64; culpandos vero quos retuli, versus fateor, cum *majori* pro *majore*, *sæpeque* poeta scripserit; sed in eodem carmine melioribus vel exactis versibus occurres.
3. Namque anno 1560 Turnebi carmen editum est (v. librorum indicem); edicta autem sua primum anno 1561, deinde 1566 Hospitalis pervulgavit, quibuscum et leges in Ruscinonis provincia a. 1564 latæ conferendæ sunt. (Vide Chéruel, *Dict. historique des Institutions... de la France*, t. II, p. 899 : verbo : *ordonnances*.)
4. *Poemata*, p. 50; cf. supra apud nos, p. 27.

Evectus supremæ ad jura curulis,
Stas infra meritum, quod honoribus altior extas ;
Et tua se virtus fasces longe erigit ultra ;
Purpura nec decorat te, sed radiante refulget
Virtutis splendore tuæ [1]...

Rem sane novam ab Hospitalis auctoritate Turnebus efflagitabat, tot in variis locis diversorum judicum capita uno ictu velut excidenda :

Nec querimur jus non dici legesque silere :
Jus nimium dici querimur...

Quippe qui legum inscientes, pecuniæ vero cupidissini, pagos et urbes tyrannide sua vexatas concalcarent. Satiram igitur nigro sale respersam tenemus quæ paganici cujuslibet tribunalis imaginem sub oculos quasi delineatam subjicit. Princeps ibi « sedem gypseam » peronatus judex occupat :

Imperiosus homo lacera tritaque lacerna.
Hos Cincinnatos ab aratro et vomere villæ,
Hos et Serranos ad sceptra forensia mittunt.
...Proximus at sorex fiscalis cognitor his est ;

qui litigatores piscium ritu retiis inductos in vivaria sua demittit. Ut jam omne tribunalis concilium habeas, « tinearum turbam » adde, accensum scilicet præconemque, scribam et viatorem, a quibus usque ad ossa pagus arroditur [2].

Ex altera parte popellum videas, prætorii foribus adstantem, dum res agatur. Quid vero litigantibus agendum sit, cum litem in domo sua privatim judex jamjam deciderit? Quid rei respondeant quos præjudicium damnavit ? — Si quis autem provocaverit, scribis infensioribus primum occurret, oppidano principi addictissimis vicanique judicis sententiam ita confirmantibus ut petitorem verberibus cæsum in carcerem includi jubeant. Supremum ergo judicium, summa curia paganis miseris tribunal istud habendum est [3].

1. *Poemata*, p. 63.
2. *Ibid.*, p. 64-65.
3. *Ibid.*, p. 65-66.

Quanti vel maxime locupletibus juris dictio constet, quibus prolusionibus, actis, formulis et præscriptionibus amplissimæ fortunæ pessum eant, nemo non videt, nec admirabitur plebeculæ parvas hereditates minimorum judicum avaritia devorari solere ; si quis enim, non ducta uxore, aut, si duxisset, sine liberis obiret, ejus bona obsignabantur ; prædamque statim, delusis heredibus, procurator fisci et scriba et alii magistratus inter se distrahebant [1].

Istum judicialem morbum e vicis usque in urbes maximas evadentem Hospitali Turnebus indicat. Namque provinciæ cuique dominus præpositus vectigalis censusque describendi jus ita exercet ut indictio vel captio vel manus injectio ex unius arbitrio pendere soleat. Quisquis ergo in istius agro vel glebæ particulam possidet, domini quæsitoribus excarnificandus deditur. Verum enim vero sunt ejusmodi privilegia quæ rex solus sibi vindicare debuit ; sed cum reges jamdudum jus suum neglexerint, homo quisque novus, quamvis miselli pagi decimam partem ditione teneat,

de capite et fortunis omnibus urget ;
Et minimo in nido regum rex esse videtur [2].

Quid satiram dixi quæ generosi viri ac vere civilis pro suorum civium fortunis et salute defendenda oratio strenua rectius dicatur ? Regiæ quidem potestatis fautorem, non assentatorem sese Turnebus egit, cum principes tyrannidis arguens hunc versum addere ausus sit :

At nobis vix hæc toleranda in rege videntur [3].

Causam tanto eloquio actam Hospitalis eo benignius excepit quod juris ipsius causa visa est ; minimorum autem judicum oppidanæque nobilitatis potentiam, si non omnino delevit, tamen in arctiores modos imminutam coegit. Sed aliud votum quo Adr. Tur-

1. *Poemata*, p. 67.
2. *Ibid.*, p. 69.
3. *Ibid.*, p. 70.

nebus epistolam concludebat, scilicet irritum, ad Kalendas Græcas subridens remisit : duo tantum « prætoria », Castellanum tribunal summamque curiam universæ Galliæ suffectura, ceteris justitium indicendum, ut aureum Saturni sæculum nobis felicioribus resurgeret [1].

Præter Hospitalem, sibi conjunctissimum, Franciscum etiam Duarenum, jurisconsultum, et Joannem Prævotium, magistratum, legum peritissimos ambo virtutibusque spectandos Turnebus collaudavit.

Ille juris antiqui fontes penitus hauserat, indoctis barbarisque scholasticis « impuras lacunas relinquens, ut romanarum legum « solus interpres » dici meritus sit [2]. Biturigis docebat, summæ scientiæ tantam addens facundiam [3] ut undique discentium turba ad illum accurreret. Sed enim celebratæ dum floret, nunc, viro mortuo, advenis orbatæ desertæque Biturigæ jacent. Attamen ejusdem ingenii monumenta supererunt, omni doctrina libri referti quorum adjumento lites dirimere jurisque lucem claram rebus ambiguis afferre judici licebit [4].

« Senatus Parisiensis », id est summæ curiæ præses Joannes Prævotius libellorum inter magistratus prætorios primam sedem occupavit [5]. Qui cum jam, Ludovico XII rege, jus diceret, per annos quinquaginta amplissimo functus honorum curriculo, tandem, Francisco II mortuo, magistratum deposuerat ut rus demigraret [6]; ibi, juxta Ligeris ripas, in « amœno secessu », mortis jam proximæ

1. *Poemata*, p. 70.
2. *Poemata*, p. 78-79. Duarenus anno 1559 vita decessit ; quem cum Adr. Turnebo Joannes Auratus et alii docti epitaphiis laudaverunt. (Vide librorum indicem.) — Quæ autem de illo Turnebus dixit, cum Scævolæ Sammarthani et Thuani verbis consentiunt, quanquam Duarenum Cujacii laudibus acriter obstitisse silentio præteriit ; scimus vero Cujacium a collega lacessitum Biturigis Valentiam quasi exsulatum confugisse. Vide *Teissier*, I, 161 et sq.
3. Immo vero Duarenum ne memoria se deficeret, verentem, quidquid dicturus esset, legere solitum Scævola Sammarthanus retulit. (Cf. Teissier, *ibid.*)
4. *Poemata*, p. 79-80.
5. *Poemata*, p. 87-92 (J. Prævotii tumulus). V. Blanchard, *Les Présidents au mortier du Parlement de Paris*, p. 246 : « Jean Prevost, sieur de Saint-Cire, etc... Président es requestes du Palais... »
6. *Poemata*, p. 90.

commentationem agere voluit [1]. Annos autem octoginta quattuor natus mortuus est, integerrimæ vitæ memoriam suis relinquens [2].

Illud etiam Joanni Prævotio contigit ut, cum alii natos ante diem sepultos videant, patris defuncti funus filii, maximis et ipsi titulis ornati, prosecuti sint ; quorum duo cum ejusdem genero « curiæ fasces præ se ferunt [3] », unus « consulari dignitate refulgens » anteit [4].

Neque de Maria Bracheta, Prævotii conjuge, Turnebus siluit ; cujus vero tanquam « castæ Pudicitiæ domum servantis » memoriam flebili carmine Petrus Ronsardus postea decorabit [5]. Ut Aureliani Maria nata est, ita Blesis Joannes oriundus :

ubi diversoria regum
Gallorum nitido pulcherrima marmore candent,
Hanc urbem Ligeris præterfluit agmine leni
In gremio regni fundatam et pacis alumnam.

Hujus lætissimæ regionis e cælo non modo corporis, verum etiam ingenii vires et alacritatem incolæ ducunt ; testis Prævotius :

Integer atque valens, vegetis et sensibus...
Sic cadis hinc, cadit ut maturus ab arbore fructus [6].

Viri denique summam erga Deum pietatem pius ipse Turnebus veneratus est, ut laudationem versibus egregiis concluderet :

1. *Poemata*, p. 91. « Amœnum » proprio latinoque sensu Turnebus dixit, cum rus describens addiderit :

Nobilis est, Turonum qua sunt et amœna vireta
Et Tempe formosa, locus.....

vicus autem « Cyriaci de nomine divi » a Turonibus duo circiter passuum millia distat.
2. *Poemata*, p. 87.
3. Id est gallice « présidents à mortier » ; inquisitionibus enim exercendis præerant [présidents aux Enquestes] « Nicolas Prevost, Bernard Prevost » et « Jean Vaillant » qui « Françoise Prevost » duxerat. (V. Blanchard, p. 246.)
4. Is Joannes etiam Prævotius nomine, vectigalium summus judex fuit ; gallice « général en la cour des Aydes ». (V. Blanchard, *ibid.*)
5. *Ronsard*, édit. Blanchemain, t. VII, p. 242 : « Epitaphe de Marie Brachet » (1584). Hic etiam Turnebo consentiens Joanni Prævotio filios octo Ronsardus fuisse refert ; tres filias Turnebus addidit. Erravit autem Marty-Laveaux qui Joannem Prævotium Aurelianensis curiæ præsidem fuisse contendit. (V. *Pléiade française*. In appendicis t. II indice.)
6. *Poemata*, p. 90-91.

Ista tuos sine nube dies lux finiit alma,
feliciter ossa quiescunt ;
Sed superas animus felicior incolit oras [1].

Qui vero bonos, recti ac juris tenaces, vir optimus toto pectore complectebatur, eumdem malorum censorem ostenderunt breviores aliquot satiræ quas uno tenore positas in Poematum editione reperimus [2]. Fateor equidem in istis lingua nimis immodicum ac protervum Turnebum fuisse ; adde quod, latino sermoni quamvis res vel inhonestissimas quidam e nostris concesserit, sunt istius generis versus quibus virum probum lascivire dedeceret ; quos impudentius quam facetius exaratos esse concedo [3]. Sed aliis versibus aculeatis famosum ex æqualibus quemdam præstrinxit.

Quis autem is fuerit, non satis manifestum habeo, sive Antonius Dupratus, sive potius Guilielmus Poyetus designatus est, cum ad utrumque « cancellarium » satira æque referenda mihi videatur [4].

1. *Poemata*, p. 91-92.

2. *Poemata*, p. 114 ad 117 : Hic undecim carmina, distichis conscripta, quanquam inter se versuum numero disparia, brevissima quidem omnia reperies ; quos distichos « epigrammata » gallicum sensum usurpans vocares. Primam vero seriem « *Historicum*, etc. » ad Petrum Paschalium referendam esse in capite sequente demonstrabo ; alias ad eumdem « legumlatorem » spectare contendo, nisi tamen versus exceperis his verbis incipientes : « *Mitteret ut gladium...* » et « *Tres infulati* » (p. 117) quibus summos quosdam romanæ ecclesiæ pontifices Turnebum petiisse liquet.

3. Vide *ibid.*, p. 114 : « *Virgineum laxa frustra...* » cujus carminis « *semivirum* » quemdam deridentis ne unum quidem versum huc referre mihi fas esset. — At enim fieri potest ut ibi neminem peculiariter Turnebus petierit, locum vero communem « artis amatoriæ » generali descriptione tractaverit. — Hoc ego concederem, nisi eidem versus cum aliis de « mœcho » et de « Parthenopeio morbo » valde congruerent (cf. *ibid.*, p. 117) quibus legumlator idem significatus est. — Quidquid id est, hæc tria carmina, sive « epigrammata » (quæ potius cum Latinis elegiaca dicantur) codex quidam manu scriptus continet, in quem Bernard de La Monnoye eroticos variorum scriptorum versus sibi colligi jusserat. (*Bibl. de l'Arsenal* : manuscr. : II, 364, n° 1243 ; vide f° 61, 62 et 63.)

4. Scimus enim Antonium Dupratum, cum in senatu parisiensi primus præses fuisset, « cancellarii » munus, rege Francisco I, ab anno 1515 usque ad 1535 quo mortuus est, occupavisse : eumdem pecuniarum repetundarum a senatu insimulatum ; postea regis ipsius in invidiam venisse ; denique phtiriasi aut istius generis morbo contaminatum obiisse. — Cum vero illo anno 1535 Turnebus tres et viginti tantum annos natus esset, mihi verisimilius est ad Guilielmum Poyetum satiram spectavisse ; qui postquam in senatu parisiensi primo « regius patronus », dein unus ex præsidibus fuerat, sigilla tandem regia anno 1538 accepit ; hic etiam peculatus reus factus, a senatu pecunia damnatus (a. 1542-1545), anno 1548 mortuus est. Poyetus autem « regiis

Dixit enim poeta se cum legumlatore rem agere ; quem injustitiæ et avaritiæ et peculatus vehementer arguit. Homini vero « opimi furti » crimine jam antea convicto rex veniam concesserat :

Quicquid habes, furto debes, patronus eras fur,
Inque Palatino cum grege præses eras :
Et nunc assessor regis furaris [1]...

Exigui fures in nervo et compede vivunt,
At magnos aurum purpura et ampla tegit.

Qui leges scripsere, Deo sacrasse feruntur...

Jus cauponatur Gallicus iste Solon [2].

Eumdem, ut opinor, suis dicteriis Turnebus petiit, dum mœchum increpat Parthenopeioque morbo laborantem deridet [3], cum viro publico privatas, ut ita dicam, libidines crimini supra verterit :

Cur leges nobis fers, cum tua vita sit exlex ?
Ante tuum debes lege notare caput
Quod si quam posthac condes, a rege petemus
Julia te Verrem puniat atque Parim [4].

Constat autem Antonii Duprati Guilielmum Poyetum cum peculatu, tum flagitiis quasi discipulum exstitisse : cui cum successisset Franciscus Olivarius, tandem justitiæ quamdam formam et imaginem Gallia spectavit, splendidius quidem a Turnebo effictam :

professoribus » suis maledictis magnum detrimentum afferre conatus erat, regique novam sedem illis pollicenti acriter restiterat. (Vide Goujet, *Collège royal*, t. I, p. 115.) Itaque inimici « felle suffusi » et « congruo vitæ exitu plane miserabili satis noti » memoriam P. Gallandius vehementer lacessivit. (*P. Castellani vita*, ab eodem conscripta, p. 50 et sq.) ; neque admirandum est cum Gallandio collegisque suis Turnebum toto pectore consensisse. — Cf. Duchesne, *Histoire des Chanceliers*. — De Antonio Duprato vide etiam Henrici Stephani maledicta : *Apologie pour Hérodote*, (édit. Liseux) II, p. 106 et 144 ; de Guil. Poyeto, v. Pasquier, *Recherches de la France*, lib. II, cap. 6, p. 80, et lib. VI, cap. 9, p. 472.

1. *Poemata*, p. 115-116. Igitur si Poyetum Turnebus eo loco significavit, versus suos ante conscripserat quam ille a senatu condemnatus fuit.

2. *Ibid.*, p. 116.

3. *Ibid.*, p. 117. « *Ingentem mœchum...* » — « *Morbo vexari...* » — « *Ægra videbatur recreari Gallia...* »

4. *Ibid.*, p. 116-117. « Quæ vulgo in libris dicitur lex Julia de adulteris, ea non Julii Cæsaris, sed Augusti lex est ; quod diserte Ulpianus scripsit, lib. I, *ad l. Jul. de adult.* » Hanc ad Juvenalis quemdam locum notam H. Wetstenius posuit. (Amstelædami, 1684 ; vide satiram VI, versum 38 ; cf. sat. II, v. 37.)

Juris Olivari custos atque ejus amussis,
Francisco cui sic regi adsedisse potestas,
Adsidet ut summo justissima virgo tonanti,
Æstimat æquata quæ rerum pondera libra... [1]

Vir enim fuit morum severitate probatissimus; at de religione nova criminibus acriter persequendis non abstinuit, Visiisque et Catharina Medicea auctoribus, Annam Burgensem indigno supplicio affici passus est [2].

1. *Poemata*, p. 46. Hic Franciscus secundus est; — Joanni vero Bertrando, Senonum archiepiscopo per octo annorum intervallum Fr. Olivarius sigilla concesserat.
2. De morte Fr. Olivarii (anno 1560), vide Henricum Stephanum, *Apologie pour Hérodote*, I, 339 (cf. II, 103); Stephani vero maledictis, quanquam non omnino indebitis, Turnebus profecto haud annuisset, cum et Olivarium et Carolum cardinalem amicitia sua prosequeretur.

TERTIUM CAPUT

De satiris in aulicos scriptores conditis, quibus et Pleiadis Gallicæ poetis Adrianus Turnebus auxiliatus est.

I

Ad Leoquernum epistolam, Petro Paschalio principumque adulatoribus irridentem qua ratione Joachimus Bellaius gallice verterit.

Cum Henrico secundo mihi rem absolutam falso dixi, siquidem satiram sum aggressurus qua Petrum Paschalium, illius regis historicum, ridiculis Adrianus Turnebus lacessivit. Aulicorum vero poetarum scriptorumque malas artes simul eruendo qua via Pleiadis Gallicæ partes idem amplexus sit, nullius non momenti quæstionem proponam.

Illo ipso anno 1559 quo « De nova captandæ utilitatis e litteris ratione ad Leoquernum [1] epistola » sine scriptoris nomine, « Parisiis, apud viduam P. Attaignant » ab Adriano Turnebo pervulgata erat, eamdem epistolam gallice translatam Joachimus Bellaius cum sui ipsius de « aulico poeta » carmine apud Federicum Morellum edebat [2]. Quid autem de altera satira sentiendum sit, inquiremus, cum priores Bellaii versus ad latinum exemplar retulerimus. Hoc vero si perlegeris, in quinque partes, ne dicam particulas, a Turnebo divisum esse animadvertes.

1° Namque prima parte, simul et amplissima, bono candidoque poetæ quem sua carmina non ditavere, qui frigore et inedia labo-

1. Qui Leodegarius a Quercu fuit. (Vide propriorum nominum indicem.)
2. « *La Nouvelle manière de faire son profit des Lettres*, par I. Quintil du Tronssay en Poictou. Ensemble *Le poète courtisan*. A Poictiers 1559. » [*Bibl. Nat.*, Y. 4580, réserve.] Etsi vero Bellaius suum nomen et ipse tacens Pictavium pro Lutetia scripsit, nihilominus Federici Morelli eximiam artem « typographicam », meo quidem sensu, libellus declarat.

rat, Turnebus ironice consiliatur ut cum Apolline Mercurium consociet, id est musam venalem præ se ferens primorum assentator et regum aulicus evadat ; Mercurius enim

mentitur olores
Phœbæos persæpe vafer, quos rudere credas
Arcadici pecoris, raucæ aut convitia ranæ [1].

Qui locus a Bellaio non infeliciter interpretatus est [2]. Quibus autem artibus, « dolis et præstigiis » ambitiosus homo quisque se vulgo simul et principibus spectabilem efficiat, edisce : primum in Italiam, qui sapit, iter longinquum tentat :

Hinc preciosa venit merx, quæ nos ducit hiantes
Defixosque tenet : si quis mendacia plaustris
Quattuor inde refert simulatis oblita fucis...

Si præ se Gallas contemnit et improbus artes,
Despuit inque sinum Gallæ sermone Minervæ,
Nauseat offensusque cibo ceu pastus amaro [3].

1. *Poemata*, p. 36.

2.
Celuy qui de Mercure a la science apprise,
En cygne d'Apollon bien souvent se deguise,
Encore que le brait d'un asne, ou la chanson
D'une importune rane ait beaucoup plus doux son.

(Édit. Marty-Lav., I, p. 468 et sq.)

3. *Poemata*, p. 37, cf. Bellaium, *ibid.*

Car c'est de là que vient la fine marchandise,
Qu'en bëant on admire, et que si hault on prise.
Si le rusé marchand est menteur asseuré,
Et s'il sçait pallier d'un fard bien coloré
Mille bourdes, qu'il a en France rapportees,
Assez pour en charger quatre grandes chartees.

Si vanteur il sçait bien son art authoriser,
Louer les estrangers, les François mespriser,
Si des lettres l'honneur à luy seul il reserve,
Et dedaigne en crachant la françoise Minerve.

Intelligendum est omnes Galliæ disciplinas et artes ab Italorum sectatore elevari solere, nec poetas qui vernaculo sermone nostro scribant, unice vituperari. Quare Caroli Fontani ut Pleiadis detrectatoris nomen hoc in loco *Ed. Fournier* falso posuit ; Fontanus enim insanius ista dixisset, cum ipse poeta Gallus esset ; cui dum Bellaium ipsum ob Quintilii Censoris injurias succensuisse idem *Fournier* credit, primum non animadvertebat se Turnebi satiram pæne ad versum Gallice translatam legere ;

Hoc in loco cujusdam Italorum fautoris, Italicos mores et ingenium præ se gerentis personam expressam esse vides quæ poetæ cuilibet aulico imitanda est ; sciunt enim trans Alpes profectionem Musarum commodis utilissimam ; illic Helicona surgere, illic Parnassiam laurum colligi [1].

At nihil homo novus se fecisse credat, nisi cujus principis, « sancta purpura » potissimum induti, patrocinio nitatur ; immo libellum emittat quo se a docto quodam laudatum probet, ut rumor præclarus domum repetentem prætervolet. Ubi primum urbem (Lutetiam scilicet) adiit, in conviviis conversatur captandosque sibi proponit :

quibus ventosa supremæ
Nomen doctrinæ præpostera detulit aula ;

qui « ad cyathum » accumbentes [2] Græcorum et Latinorum sententias expromere gestiunt ; istorum enim ineptiis atque adulationibus hospes depascitur, sapientis et ipse doctique viri nomen, quanquam litterarum plane rudis, affectans :

Quales Assyrio fulgentes conspicis ostro [3].

Præ cunctis, feminarum quas omni doctrina imbutas aulici ferunt, gratiam callidus aucupetur : hæc via fatui cujusque sibi conciliandi brevissima. Interdum aliquid scribendum curabit, invita vel Minerva ; Virgilium aut Ciceronem ad opem vocans, emendicata

deinde nesciebat quod hodie nobis exploratum est, « Quintilium censorem » ab alio cui Barthelemæus Annulus nomen fuit, conscriptum fuisse. (V. Ed. Fournier, *Variétés historiques et littéraires* ; t. X, p. 131-139. — Cf. *Revue d'Histoire littéraire de la France*, 15 janvier 1898, article de H. Chamard).

1. *Poemata*, p. 37.

2.
« Qui au bout d'une table au disner des Seigneurs
« Deplient tout cela, dont furent enseigneurs
« Les Grecs et les Latins.....

3. *Poemata*, p. 38. « Cardinalibus » quibusdam irrisisse Turnebum vides ; hunc extremum versum Joach. Bellaius prætermisit, ut et alium quem infra leges :

Puniceis recita petasis nuribusque superbis.

(id est feminis nobilibus quæ cum episcopis versabantur.)

verba artificiose junget paucula, ut sive carminum sive solutæ orationis latinum specimen afferat [1].

At enim de latinis scriptis hic agitur, non de gallicis. — Ita est, cum tamen eidem scriptori, latinis intermissis, vernacula lingua, si res postulet, usurpanda sit [2]; doctorum sed enim sermone doctos interpellare summum fuit artificium.

Hac autem ad Leoquernum epistolæ prima parte, ut aulicorum genus universum veluti communiter irrisum est, ita peculiariter singillatimque Petrus Paschalius expressus esse mihi videtur [3]. Namque constat istum, Vasconum e pago quodam oriundum, vix sextum et vicesimum annum egisse cum Tolosa profectus Romam Georgium Armeniacum « cardinalem » secutus sit; cumque in Italia moraretur, juris civilis scientiæ studuisse, multa audientem, multa et ipsum latine declamitantem vel scriptitantem [4]. Prius vero quam in Galliam regrederetur, libellum edendum curavit, orationes et epistolas continentem quibus sui ipsius exspectationem legenti-

1. *Poemata*, p. 38-39. Cf. Bellaium :

Il te faut quelquefois, soit en vers, soit en prose,
Escrire finement quelque petite chose
Qui sente son Virgile et Cicéron aussi.

Ergo latine scribendum est !

2. Sed animadvertamus istum quem Turnebus in scenam induxit (Paschalium scilicet), latina potissimum scriptitare solitum : quod ex Bellaii translatione non satis manifestum videtur.

3. Quod mihi primo in lucem edere liceat, cum ad hanc diem alii Petrum Paschalium in tertia quartaque ejus epistolæ parte tantum agnoverint. (Vide infra.)

4. Vide Paul Bonnefon : « *Pierre de Paschal, historiographe du roi* (1522-1565), etc. » Multa enim de Petri Paschalii vita et operibus in hoc egregio opusculo leguntur, quanquam scriptoris ingenio nimium indulsisse vir eruditissimus mihi videtur ; ceterum ea quæ de Turnebi satiræ fontibus disseram, idem non curavit... Cf. *Bibliothèque de La Croix du Maine*, t. II, p. 303 et sq. — *Ibid. Du Verdier*, III, p. 309. Paschalius autem « Aquitanus erat, Salvaterrensis » ut ex aqualis cujusdam testimonio P. Bonnefon retulit.

Unum addam : Paschalium Tolosa profectum esse ipso anno 1547, quo Turnebus Lutetiam accitus sit : inde fortasse factum ut hic illi Tolosæ obviam fuisset, jamque abhinc simultatis et odii causas concepisset ; cujus indicium rei (licet in dubio positum) ex ipsius Paschalii litteris detraham : cuidam enim simulato nomine *Turquatulo* qui « apertas secum inimicitias susceperit » sæpius et vehementer maledicit, « putidam belluam in ejus sordibus sese relicturum » profitens, cum « nihil extra lutum » agere possit. (*Paschalii epistolæ*, p. 127 : cf. p. 112 : « quidquid noster Poeta in nos evomuerit... » et p. 129.

bus injectum iri sperabat [1]. De oratore quid dicam ? verbis turgentibus atque inani sonitu dum Ciceronis grandiloquentiam insectatur, sæpe fit ridiculus. Epistolas autem si leges, eumdem hominem, fatuum ac se nimis ipsum suspicientem, idem, ut ita dicam, exemplar quod Adriani Turnebi satira proposuit, unaquæque pagina tibi proferet.

Quem enim Ciceronianum Turnebus merito vellicavit [2], is res Italicas in suas litteras congerit, Romamque veterem illam, et hanc recentiorem exaggerata altius ac redundanti oratione describit [3]; nec de Patavio silet ; Venetorum urbe denique petita, quod iter per Italiam confecturus sit longius enarrat [4].

Attamen fatendum est in his epistolis non omnia insulse vel frigide dicta esse [5]; neque infelicem Paschalium, a suis æqualibus exagitatum, verbis meis conficere vellem ; cum id unum mihi probandum fuerit, ex ejusdem libro Turnebum tela sua quasi desumpsisse :

Si Romam strepit ore, urbem sonat atque Patavi,
Undivagos et si Venetos, atque Appula rura...

Nempe dixit Turnebus eum qui Gallus in Italiam profectus sit, Italum in Galliam regressurum :

cultu, incessu, gestuque sonoque
Italus huc versa tu pelle redito decorus [6]...

Paschalium ad suum Durbanum scribentem audiamus : « *Ego*

1. Cujus libelli anno 1548 publicati titulum in indice descripsi.

2. Quod ipse, quamvis infeliciter, nitebatur, id aliis Paschalius suadebat. « Hortor te etiam atque etiam ut Ciceronem unum tibi imitandum proponas, eumque in succum ac sanguinem convertas tuum. In hoc si elaboraveris, magnos ex tua industria uberesque fructus in omni vita percipies » (*Epistolæ*, p. 159.)

3. Vide ad Durbanum epistolam (*Ibid.*, p. 83-94). « Incredibile est quam sit mihi suave ambulare in eo ipso solo in quo Reges, Coss. Imperatores omnium gentium domini incesserunt ; frui eodem cælo ac spiritu quo tot poetæ, philosophi, oratores... etc. » (p. 87.) — « Movet me rursum angitque vehementer, dum qualis fuerit olim Roma, et quæ nunc sit cogito. » (*ibid.*) etc.

4. *Epistolæ*, p. 120-121 ; cf. 128, 132, 141. Etsi vero non Apuliam invisit, saltem Anconam « æstuosa sane et pulverulenta via » Roma se contulit (p. 151).

5. Ut in illa quam supra retuli ad Durbanum epistola ; ibi enim de novis Romæ poetis facetius dixit. (*Ibid.*, p. 89.)

6. *Poemata*, p. 37 et 38

vero eo sum jam vultu, oratione, omni reliquo corporis motu, ut me non Gallum agnosceres, sed totum Italum judicares. Neque quemadmodum solebam ingenuo liberoque fastidio ineptias hominum respuo, sed omnia laudo, omnia approbo [1]... » Hominem his litteris novimus qui cum in Italia commoraretur, suum in patriam reditum « urbi et orbi » sperandum nuntiis repetitis faciebat [2]; hunc vero « suum cardinalem secutum esse » minime pænituit ; neque aliorum episcoporum vel principum gratiam sibi neglegendam duxit [3]. Vix e discentium grege evaserat, doctissimis se parem agere audebat, Paulum Manutium ita sollerte circumveniens ut ab illo viro laudatoriam epistolam impetraret [4]; quod Adriano Turnebo risum movisse facile credo.

Nullam denique ingenii facultatem sibi deesse Paschalius iisdem litteris significavit, cum versus etiam a se ipso conditos « Odas, Elegias, Epigrammata, Comœdiam denique » in aliquot voluminibus manu sua exaratis contineri prædicaverit, quæ typis proxime mandaturus esset ne ipsius æquales neve posteri laboris insignis fructu destituerentur [5]. At ea non edidit, hoc libro contentus quem Armeniaco « cardinali » dicaverat [6].

Igitur ad Paschalium sequentes Turnebi versus ironia quadam relatos verisimile est, quibus callidius fore dixit si nihil prælo aulicus mandaret, nihil in publicum ederet ; quidquid vero alii scripsissent, gravi censura securus notaret. — Quid plura? nihil unquam scribens rem ageret optimam, qui sibi in manibus « magni molimi-

1. Vide *P. Paschalii epistolas*, p. 106-107.
2. « Ego si de me scire vis, in Galliam cupio quamprimum redire. » (*Ibid.*, p. 131) ; qua clausula sæpius utitur.
3. Namque Romæ suam aulam (ut Joannes Bellaius cardinalis) Georgius Armeniacus habuit. Vide *Epist.*, p. 90, et passim. Cf. P. Bonnefon (in opere supra relato) qui de iis quibus Paschalius familiariter utebatur, te monebit.
4. *Epistolæ*, p. 163. « Paulus Manutius Petro Paschalio s. »
5. *Epistolæ*, p. 161-162. Ista omnia utrum latine an Gallice conscripta essent, Paschalius non dixit. — Cf. p. 3 (ad G. Armeniacum). « Quo vultu illa carmina quæ tibi nostra Calliope tum in Gallia, tum etiam in Italia cecinit, excepisti ! » — Pascalium tamen Gallicos versus scriptitasse, cum ludis floralibus Tolosæ palmam bis retulisset, P. Bonnefon compertum habuit. — Quid quod ipse prædicavit se « tantum *operis* [*sic!*] *subsicivis* perfecisse (?), ut Gallica scripta sua nomini Gallico laudem aliquam afferrent » ? (*Epist.*, p. 109-110.)
6. Vide ejusdem libelli præfationem, p. 3.

nis argumentum », nescio quid majus Iliade servari dictitaret [1] ; quæ dicteria in ipsum Paschalium rursus cadere mox videbimus.

2° Secundam autem ad Leoquernum epistolæ partem non nisi decem versus continent, quibus alteram personam, illi quam adspeximus quæque iterum ostendetur simillimam, Turnebus induxit :

De regno quidam veterator dixit in aula
Scribere se : Latium mox est et Cecropis urbem
Creditus exhausisse, parem nec habere putatus :
Inde magistratus cepit, seditque curuli,
Regibus emunctis [2].....

Verum exspectati libri nullam litteram scriptam esse vacui foruli pluteique, veteratore defuncto, satis superque patefecere [3]. Qui vir curialis num fuerit Jacobus Montanus, vectigalibus repetendis in Monspessulana curia præses, ut Antonius Verdiarius retulit [4], dubito ; Montanus enim post annum 1559 quo Turnebi carmen editum est, vitam suam longius produxit ; adde quod ab eodem manu exaratas aliquot chartas habemus, in quibus Gallorum historiæ liber tertius, rerum et in Europa gestarum liber quattuordecimus conscriptus est [5]. Sed vera cum falsis miscendi jus satiræ semper concessum est ; neque illepidum esset hominem fingere mortuum qui vivus promissa solvenda non curaret.

3° Petrum denique Paschalium in sequentibus epistolæ versibus liquido designatum constat, quanquam inter nostrates quidam Dionysii Salvatici nomen subaudiendum esse sensit [6]. At rem jam XVI sæculo admodum innotuisse cum a Stephano Pascasio, tum ab Antonio Verdiario accepimus. Quid quod editio « Basileæ Rauraco-

1. *Poemata*, p. 39-40.
2. Id est, deceptis ; quam dictionem, Gallicæ linguæ non repugnantem, Bellaius ita vertit : « Ayant mouché les Rois ».
3. *Ibid.*, p. 40.
4. *Bibliothèque française*, t. III, p. 309.
5. V. « *Catalogue général des manuscrits français de la Bibliothèque Nationale* » par H. Omont, t. I. [*fonds français*, n° 15494 : Hist. de France par le président Jacques de Montagne ; livre III sur l'année 1561 ; autographe, 252 feuillets ; — n° 15495 ; hist. de l'Europe par le même : livre XIV, chap. 8, règne de Henri III en Pologne ; plus (fol. 171 et sq.) divers fragments du même auteur ; V, et 84 feuillets ; autographe.]
6. Ed. Fournier, *Variétés littér.*, t. X, p. 142.

rum » impressa huic ipsi Turnebi loco notam adscriptam in margine continet, P. Paschalii nomen indicantem ?

Esse viris alius magnum de illustribus orsum
In manibus sibi narrat, et astu decipit isto
Jam tria lustra homines [1] : sed nec promissa Metonis
Annus persolvet jam lustra novissima torquens [2] :
Ambitiosus et est quicunque, hoc nomine captus,
Eblandiri hominem studet, et captare laborat,
Hæreat illustris quo tanti in margine libri.
Grande operæ pretium est cautus veterator adeptus,
Regibus et magno diuturna silentia vendit,
Inducens Stygiæ claris oblivia Lethes [3]...

Pauli Jovii vestigia quasi secuturus esset, palam se Paschalius finxerat ætatis suæ virorum illustrium vitas seu « elogia » latine describenda aggressum esse ; hac arte omnium in se oculos converterat, qui locum in opere prædicto affectabant. Julium Cæsarem Scaligerum memorant ad Paschalium suæ vitæ præconium a se ipso compositum ultro misisse [4]. Petrus autem Ronsardus quid ab illo speravisset, nonnullis carminibus declaraverat. Virum enim laudationis haud pertæsum eclogarum silvulam « dilecto Paschalio » anno 1554 dicare non puduit, ut « ambo Musarum et amicitiæ vinculis conjunctissimos uno pectore atque animo sensisse » posteritas audiret. Verum sex post annos dilecti Paschalii nomen dilectioris Bellaquei nomini in eodem versu cessit [5].

1. Et jà douze ou quinze ans nous deçoit par cest art...

(Du Bellay : édit. Marty-Lav.)

2. Sciunt quinto sæculo ante Christum Athenis floruisse astrologum, vel potius ἀστρόνομον Metona : seriem ab eo decem et novem annorum descriptam quæ numerus aureus dicta sit : gallice vero Bellaius, christianum proverbium usurpans, ita vertit :

« Mais il accomplira sa promesse plus tard
Que l'an du jugement.

(*Ibid.*)

3. *Poemata*, p. 40.

4. Ut retulit De La Monnoye in edita Verdiarii Bibliotheca. (*Ibid.*, p. III, 309 et sq.

5. Vide P. Ronsardi carminibus præfationem a Marty-Laveaux præfixam (Œuvres de Ronsard, I, p. II et sq.) ; qui prius in Bellaii editione cum Ed. Fournier multum erraverat. — Primum enim versum ita Ronsardus condiderat :

Je veux, mon cher Paschal, que tu n'ignores point, etc.

[*Bocage*, feuillet 22 ; 1554]. V. élégie à R. Belleau, t. IV, p. 95. — Cf. Baifii opera (Marty-Lav.), I, 184.

Quo magis splendidis verbis poeta crediderat, eo furentior a deceptore pœnas ipse repetiit et alios in sua verba jurantes repetere jussit. Cujus ultionis auctorem præ ceteris Turnebum exstitisse Stephanus Pascasius asseveravit in epistola qua latinam Ronsardi satiram semet ipsum gallicam fecisse dixit [1].

Sed licet omnino delusum te jure dixeris, perincommoda res erit palinodiam, ut aiunt, decantare, candidaque in nigra coram populo convertere. Id nimirum intellexit Joachimus Bellaius qui cum de Petri Paschalii cœptis magnifice judicavisset [2], hominem in illis carminibus quibus « Desideria » titulum adscripsit, pergrato animo prosecutus erat [3]. Hæc profecto causa fuit cur ad Leoquernum epistolæ gallice translatæ cui novam, ut ita dicam, gravioremque famam allaturus esset, nomen suum inscribere Bellaium puduerit. — Verum, si cuidam inter nostrates credas [4], Turnebi satiram parte quarta addita ultro Bellaius acriorem effecit.

4° Tertiam enim partem his versibus Turnebus concludebat :

Parthica nam vincet falsus mendacia : quemquam
Ævo nec memori tradet, sed sublinet ora
Omnibus, et candens equus hunc portabit, alet Rex [5].

Sin autem volumen quod « Pictavii » editum titulus falso retulit, in manibus tenebis [6], leges, sub fine gallicæ conversionis : « In editione latina hæc omissa fuerant :

1. V. *Lettres de Pasquier*, édit. 1619, t. I, p. 53-54. « En quoy nous ne faisons rien qui n'ait esté attenté par ce grand personnage Tournebu... » Cf. *Ibid.*, livre IX, lettre 9 : *à Lacroix du Maine* ; in qua epistola P. Paschalii mores et facinora longius relata sunt a Stephano Pascasio qui « homini propius accesserat. » — Sed neque Ronsardi satiram neque Pascasii translationem hodie exstare audivimus.

2. Docte Paschal, l'honneur de la Garonne,
Qui retraçant d'une divine main
Les plus beaux traits du mieux disant Romain
T'es mis au chef la plus docte couronne... »

(Du Bellay, édition Marty-Lav., t. II, p. 141.

3. « Les Regrets » anno 1558 primum pervulgata sunt ; quorum multa carmina [sive Gallice *sonnets*] ad P. Paschalium dicata legimus.

4. V. Marty-Laveaux (*Œuvres de Du Bellay*, t. I, p. 472.)

5. *Poemata*, p. 40.

6. Vide supra, p. 57, n. 2.

alet Rex.
Area sed fœlix potiusque hæc aucupis illex
Quod fecisse alium narrat plebecula tota,
Urbis qui quandoque in diversoria nota
Venerat, ingressus conclave relinquere suerat,
Ut multi legerent, non ferme plura quaternis
Versiculis, titulo charta minioque notata :
En liber historiæ jam quartus in ordine Gallæ.
Quis neget hunc nullo fœlicem quæso labore,
Bis duo cui totidem peperere volumina versus ?
Monstrari hinc digito, scriptorque hinc dicier esse
Gallorum historiæ, atque hinc maxima præmia ferre [1].

His latinis gallici versus in Bellaii carmine respondent, quos tibi conferendos subjeci. Equidem Marty-Laveaux conjecturæ, quamvis subtiliter excogitatæ, valde repugno ; mihi vero verisimilius est priori sermoni suo hæc latina Turnebum adjecisse, et ad suum Bellaium sponte misisse ; hunc additos versus, ut alios, interpretatum, nedum, contraria vice, quod gallice commentatus esset, latine converteret. Etenim eumdem locum perlegenti latinos versus, ut prioris exemplaris cetera, gallicis præcessisse indicia nonnulla probant ; e quibus unum afferam cujus mihi Henricus Stephanus auctor fuit : scilicet Bellaium in gallicæ linguæ vim et consuetudinem peccavisse, latinam dictionem « *monstrari digito* » ad verbum ita transferendo :

« Qui du doigt pour cela est monstré du vulgaire » ;

1. Eosdem versus « addendos » A. Turnebi *Poematum* editio in ultimam paginam (127) retulit.

« C'est un gentil appas pour les oyseaux attraire,
Ce que d'un autre dit le commun populaire,
Qui par les cabarez tout expres delaissoit
Quatre lignes d'un livre, et outre ne passoit,
Avec un tiltre au front, qui se donnoit la gloire
D'estre le livre quart de la Françoise histoire.
Qui doncques, je te pry, niera que cestui-cy
Ne soit des plus heureux sans se donner soucy ?
Qui quatre livres peut de quatre lignes faire,
Qui du doigt pour cela est monstré du vulgaire,
Qui pour cela de France est dit l'historien,
Et auquel pour cela on fait beaucoup de bien.

(Du Bellay, édit. Marty-Lav., t. I, p. 472.)

despicientis enim, non suspicientis ut gestum, ita sensum hac voce nostro sermone plane significari [1].

Quidquid id est, Petrum Paschalium novis aculeis hoc in loco transfixum esse videmus [2] ; neque enim tantum virorum illustrium « elogia », verum etiam Gallicarum rerum historias, Henrici II regnum amplectentes se moliri, et pæne jam conscriptas in manibus habere Vasconum maxime Vasco proclamaverat. Quod egregium opus ut absolveret, a rege mille et ducentis nummis unoquoque anno persolvendis donatus erat [3]. Inde « Camœnarum algentium » dolor et indignatio.

At enim Paschalio summam injuriam Turnebus fecit, siquidem libri sui plus quam titulum historicus ipse scripserat. Testis sit Antonius Verdiarius qui de Paschalio Lutetiæ diversoria celebrante referens, addit se « libri quarti » decem vel duodecim paginas, manu exaratas quas cauponi suo cum sarcinis pignora ille reliquisset, oculis vidisse [4]. — Testis et apud nos Paulus Bonnefon qui cum in Gallicæ Bibliothecæ manu scriptis voluminibus plures chartas earumdem historiarum fragmenta perlonga continentes reperisset, in opusculo suo Paschalii libri secundi paginam totam exhibuit [5].

Quibus vero repertis haud idcirco Turnebi satiram insignem veluti damnandam vel abolendam qui mecum sentiet, is judicabit. Satis enim Turnebus probavit suorum civium spem Paschalium fefellisse, qui perlegendam historiam eis non tradiderit, regiis sed enim nummis contentus censorum notam cautissime fugerit.

Sermonis enim latini plane rudem, rerum vero gestarum narratorem frigidum et inconditum alius ejusdem libellus, Henrici II regis funebrem laudationem complectens, ostendit [6] ; neque puto ex illis

1. « Sed hoc Gallice dicunt in *dedains* » (pour exprimer le dédain). — Vide in Lugdunensi bibliotheca Bellaii carmina Henrici Stephani manu annotata (p. 677).
2. Quanquam *alium* Turnebus dixit, *eumdem* profecto legendum est.
3. Vide St. Pascasii epistolas supra relatas.
4. *Du Verdier, ibid.*
5. V. P. Bonnefon, opus supra relatum. [V. *Bibl. Nat.* Manuscrits : *Fonds Dupuy*, vol. 624 (fragments du livre I et II) ; *fonds latin*, 11481, fol. 27-50 (fin du livre I) et 18339, livres II, III et IV]. — Quibus historiarum partibus et « liber sextus » addendus est, si catalogo ab eruditissimo viro C. Couderc descripto credimus [*Manuscrits de la Biblioth. du Mans*, p. 75-76 ; n° 86.]
6. Anno 1560. — V. librorum indicem.

historiarum fragmentis de scriptore nobis melius judicandum esse. Carolum certe Lotharingum credo minime delectatum fuisse si pro suis commentariis jejunam et inanem epitomen in publicum prodire vidisset [1]. Sin autem Turnebo Lancilotus Carlus credidit, operæ suæ sapientius pepercit, nedum Henrici II « elogium » gallice verteret. Qui enim Paschalii promissa in epistola ad Leoquernum deriserat, ejusdem dona, regis scilicet laudationem, distichis novem mordacibus Turnebus respuit [2] :

Historicum multis emisti, Errice, talentis,
  Ludibrium qui te ridiculumque facit :
Non sinit ille tuos manes requiescere in urna,
  Quos vexat, mendis sollicitatque suis.
Elogio qui se, qui te traducit inepto :
  Merx mala quam magno væniit ista tibi !
Confectam historiam contexit [3], et *illud* et *istud*
  Quid distent nescit, quid valeantque miser [4].
Urbes qui captas ait a te sæpe *receptas* [5];

1. Vide ad Carolum Lotharingum eidem « elogio » præfixam epistolam, annoque 1559 calend. sextilis datam ; quæ in invidorum maledicta Turnebique satiram P. Paschalii defensio fuit. « Quoniam tu pene unus scribendæ Henrici regis historiæ non solum autor, sed adjutor etiam fuisti, et virorum quoque quorundam illustrium elogiorum conficiendorum suasor, Princeps illustrissime, etc. — « Neque enim illi historiarum libri... sunt toti nostri, tui sunt majore ex parte et ex doctissimis tuis commentariis decerpti... » — Cardinalis vero Lotharingi commentarios, quorum *Lelong*, in sua bibliotheca titulum inscripsit, monachi cujusdam « Louis Jacob » testimonium referens, nemo vidit. (V. *Bibl. du P. Lelong*, II, n° 17747.)

2. *Poemata*, p. 114. Qui versus aliorum ante me criticorum diligentiam fugerunt ; quibus autem hoc commentariolum his notis subjiciam.

3. Cf.« Henrici II elogium » in epistola ad Carolum Loth. : « dum nostri temporis integram historiam, maximarum sane vigiliarum opus, *contexo*... » ; — in eadem epistola supra legimus : « elogiorum *conficiendorum* suasor... illi historiarum libri quos *confecimus*... eo *confecto* hoc elogio ».

4. Namque temere perperamque *illud* pronomen Paschalius usurpavit, cum *hoc* vel potius *istud* scribere debuisset : « *Hoc* autem regium elogium quod nondum perfectum, semel atque iterum Henrico Regi perlegisti, sic vel ipso nutu [!] (aderam enim ipse præsens) emendasti, ut *illud* non indignum quo in manus hominum perveniat, jam tandem judicavi. » — « Quod facio, *illud*que interea [*hoc* elogium vel *istud*]... in tuo clarissimo nomine apparere cupio. » — « Munus igitur *hoc* totum, sapientissime princeps, magnificum *illud* quidem... accipe. » — (ad Carolum epistola, *ibid.*). Tot vitiis inquinatum sermonem nonne Turnebus jure castigavit ?

5. Nesciebat Paschalius aliud esse urbem captam, aliud receptam. Cf. *ibidem*, p. 9 : « Corsicam insulam a Genevensibus vexatam, fidem et auxilium implorantem, *recepit.* » — p. 12 : « tribus locis in hostium fines *suis* [*sic*] introductis copiis, Mariaburgum et opere et natura munitum oppidum *recepit.* »

Contra grammaticos et, *sibi oportet*, ait [1].
Qui contra Astrologos, *Saturnia sydera* dicit
  Favisse, ac dicet mox nocuisse Jovem [2]...

etc.

3° Quinque tantum versibus ad Leoquernum epistolam Turnebus conclusit, nomen simulatum pro suo sufficiens :

Grunius hæc strinxi Gatianus, patre colono
Cretus et invitis amplexus carmina rastris [3].

Quidnam hæc obscuriora verba significent, cum, proprio nomine sublato, nihil me certiorem fecerit Bellaius [4], aliud Adriani Turnebi carmen de quo jam dicturus sum, ostendere mihi videtur.

II

De Turnebi « Contra Grunii epistolam » faceta purgatione. — Ejusdem in eumdem Paschalium carmen quod Βασιλικὸς παράσιτος inscriptum est, cum Joachimi Bellaii « de aulico poeta » versibus collatum.

Namque Grunium se dicens Gatianum suam ipsius personam Turnebus jocose ferebat ; quippe qui paterno rure profectus ingenuas artes amplexurus Lutetiam olim advenisset ; suem vero grunnientem [5], id est rusticanum et agrestem hominem facete dicas qui

1. V. *Poemata*, p. 7. « qui [Henricus II] cum maximi populi optimi et fidelissimi, multorumque virorum nobilium ac Principum Principem se esse, eoque loco locatum, ut longe futuros omnium casus prospicere *sibi oporteret*, vidit... etc. » Nempe « sibi oportet » solœcismus habendus est, ut si Gallice « *il lui fallait* » Paschalius dixisset.

2. *Elogium*, p. 26. « Natura erat tacitus [rex Henricus] et acri judicio (ut ii quibus stella Saturnia favet, esse solent), præditus. » Noxium vero funestumque Saturnum astrologi ducebant ; cf. Horatium (Carmina, II, 17-20) : « *Te Jovis impio Tutela Saturno refulgens Eripuit*... etc. »

3. *Poemata*, p. 41. *Junius* hic pro *Grunius* in editione quæ Parisiis anno 1580 data est, legimus ; absurdumque istud mendum Argentoracensis retulit. Sed *Grunium* a Turnebo scriptum esse prima ejus epistolæ editio, anno 1559, me docuit ; quam Basiliensis (anno 1568], Carolo Utenhovio curante, secuta est.

4. J'ay, fils d'un laboureur, discouru brefvement
Tout ce facheux propos, moy qui ay bravement
Delaissé les rateaux, pour m'attacher aux Muses.

(Du Bellay, *ibid.*)

5. Equidem gallice interpretarer : « *un pourceau de Gâtine* ». *Gatianum* enim ad hujus vocis similitudinem derivatum puto. Cum vero Galliæ nonnullæ regiones eodem nomine dictæ sint, incertum habeo Carnutumne quemdam agrum Turnebus signifi-

urbanorum cultum elegantiorem fugiat aulæque moribus depravatis acrius repugnet. Circæam etiam fabulam attigit altera epistola [1] qua se priorem ad Leoquernum scripsisse negantem Turnebus fingebat ea mente tantum ut salibus sales adderet :

Hoc merui sperare ? Parant hæc præmia Divi ?
Ut quod ab impura lutulentus porcus inepte
Grunit hara, fecisse puter ?...
Grunius hic quicunque tuis sus, Dædala Circe,
Gruniat in septis cum turpi Elpenore clausus,
Ne latices turbare sacros, ne spargere labe
Dilectos Musis iterum temerarius ausit [2].

Quos Musæ diligant et alant, te non fugit, quorum præclarissimus Petrus fuit Paschalius :

in gremio quos nutriit alma diserto :
Principibus quos erudiit, magnisque sacravit
Regibus, æternæ mandantes nomina famæ [3].

Tanti sceleris causas quamvis procul a se ipso rejiciat, indignatione simulata commotus :

satyrarum scriptor haberi
Jam mereor, videorque nocens, suffusus amaro
Felle, et doctorum credor communis Erinnys [4].

tamen confitentem jam reum habemus. Qui vero negat se « sacros

caverit, ab Andeliaco suo Sequana interfluente divisum [Gâtine du pays Chartrain] — an illam nobiliorem regionem, Parthenaco Pictavioque proximam [Gâtine du Poitou] ; cujus mentionem Bellaius in libelli sui titulo posuit. — *Grunnius* autem suis cujusdam in Circæa fabula nomen proprium fuit ; quod recentior, XVI sæculo, satira usurpavit : « *M. Grunnii Corocottæ porcelli testamentum.* »
Vide « *Proverbiorum symmicta*, Joanne Alexandro Brassicano Jurecons. autore » Lutetiæ, 1532. (*Bibl. Nat.*)

1. Eodem anno 1559. (Vide libror. indicem.)
2. *Poemata*, p. 41. Sin autem Paschalius « *Turquatulo* sordes et lutum » exprobrans Turnebum petiit, responsionis vim et sensum planius intelligimus. Cf. supra, p. 60, n. 4.
3. *Ibid.*, p. 42. Alma Minerva, fons doctrinæ et eloquentiæ. — Hic etiam magnifica deridet verba quibus ad Carolum Lotharingum Paschalius utebatur : « Homini et tui et cæterorum illustrium virorum nominis memoriam æternis monumentis consecrare exoptanti perpetuo fave. » (*Henrici II elogium.*)
4. *Poemata*, p. 43.

vates Phœbique clientes » læsisse, cum ab illorum obtrectatore pœnas repetendas aggressus sit :

mox scrinia nactus
Versibus ulciscar petulantis jurgia linguæ
Jejunum in scurram, quod carmen comprobat istud [1].

Rursus igitur in Paschalium Zoilum agentem sermo deductus est :

Nam Carlus si quid limavit doctius olim,
En male pastus adest ad pabula protinus illa,
Et mordet roditque, malus quæ Momus amaret [2].
Rasa negat tereti vel torno scripta rotari :
Vel sensu nutare putat, vel verba diserti
Flagitat hic etiam Ciceronis, et omnia culpat [3].
Hospitalis item si quando poema peregit,
A Musis quod opus cælatum et Apolline dicas,
Quæ brevis ignarus, proceraque syllaba quæ sit,
Carmen iter teneat vel quo pede nescius, ultro
Regiæ in impluvio medio circundatus orbe
Unguentatorum cirratorumque rotundo [4],
Præclarus recitat, conducendusque magister :
Gestus et eludit mimæque argutia dextræ
Dum recitat, crispo suspendit et omnia naso.

His versibus exactis scurræ gestus speciemque ad vivum expressam vides ; sed enim consulto et maligne Turnebus dixit Paschalium Carli Lanciloti latinos versus vellicavisse, cujus episcopi patrocinium et opes mendicavisset [5] ; Hospitalis laudibus infensissimum eumdem subjecit, qui vir « et spes et ratio studiorum » exstaret :

1. *Poemata*, *ib.* — Id est, antequam satiram graviorem emittat (quæ βασιλικὸς παράσιτος inscripta est), his versibus scurram jam exagitat. *Jejunum* autem sensu proprio dixit, in eum qui parasitum agebat. At in versibus sequentibus sensu translato « male pastus... ad pabula... » verba sunt accipienda.
2. Μῶμος fuit inter deos maxime derisor ; cf. Hesiodum : Θεογονία, v. 214. — De Carlo Lanciloto res agitur.
3. Nempe in carminibus æstimandis ad oratorem provocabat. De Paschalio « Ciceroniano » vide supra, p. 61.
4. In regiarum ædium quæ Lupara dictæ sunt, atrio sive conclavi, ubi frequens aulicorum turba regis adventum exspectare solet.
5. Vide supra, p. 68.

cur denique, dicit,
Hic scribit versus et publica munera mittit?
Hunc agitat rabies, agitat fanaticus error [1].

Poetas enim contemnebat scriptor aulicus, ut insanos, viam sibi faciliorem ad famam nummosque captanda latinam quamlibet prosam et adulatoriam habens; qua de causa cum aulicis contendentem Joachimum Bellaium in suis « *Desideriis* » Gallicæ poesis rationes amplexum esse alias demonstravi [2]. Hic vero notandum pro latinis poetis proque domo sua Turnebum verba fecisse.

Ceterum a poetis, sive gallicis sive latinis aulici non omnino refugiebant, dum modo quibusdam cincinnis et lenociniis versus essent commendati; putidum enim fucosumque dicendi genus, ex Italis magna parte desumptum, Chœrilos quoslibet affectare Bellaius et Ronsardus questi sunt [3]. Istam etiam judicii depravationem Turnebus lacessivit in alio carminis fragmento quo se Grunii clamores edidisse non infitiatus est, nedum excusaverit :

Hircoso tangi Milesia nomina versu
Esse nefas qui nescit, aret, nec carmina scribat [4].

Etenim suilla cute indutus, Milesiarum fabularum genus attigerat; cujus sermonis nimia petulantia teretes urbanorum aures ita læsas esse fingit ut ad rastra scriptor agrestis redire sit coactus. Itaque fistula silvestri Faunorum aures Batavas posthac delectabit, Deis superioribus parcens, nec jam « grandia sanctaque nomina » indigna voce violaturus :

Quæ Charitum celebranda choro Venerisque susurro,
Quæ tenera volucrum lingua cantentur Amorum.

1. *Poemata*, p. 44.
2. Vide thesim a me gallice conscriptam (*Henri Estienne et son œuvre française*; p. 179-180); cf. Du Bellay, *Regrets* (édit. Liseux), sonnet CXLIX :

Nous sommes fouls en rime et vous l'estes en prose.

Cf. *ibid.*, son. II.
3. Cf. Du Bellay : « *Contre les Pétrarquistes* », *Jeux rustiques*, p. 61 (édit. Liseux). Ronsard : *Caprice au seigneur Simon Nicolas*, t. VI, p. 329 (édit. Blanchemain). Paschalius et ipse Chœrilus dictus est ob « incomptos versus et male natos ». V. *Poemata*, p. 114.
4. *Poemata*, p. 123.

Verum adulantium turbæ locum cedentem rus demigrare non piget, Musis neque mendacibus neque fucatis obviam iturum. Illæ enim montes et silvas, vulgo contempto, frequentant; illic veræ poesis fontem manare vates antiqui suis carminibus edocuerunt [1].

Huic autem contra Grunium facetæ purgationi carmen aliud, βασιλικὸς παράσιτος inscriptum, addam. Ibi enim et Paschalii notissimam figuram, adjectis aliquot, ut ita dicam, lineamentis, deprehendere licet :

Est parasitus egens qui regia tecta frequentat,
Nulli non notus, nulli optandusque sodalis :
Mane salutator primatum insistere limen
Qui solet, et magnæ capitur nidore culinæ...

Neque de helluone tantum res agitur, cum idem doctioris et eloquentis viri garrulitate et petulantia famam inter doctos insectetur :

Ore loquax, atque ore vorax : os lædere nulli
Lentus, nec superis solitus quoque parcere divis.
Scriptorum genus omne sua trutinare statera
Assolet, æquataque examinat omnia lance :
Nec laudare solet, sed carpere dente maligno... [2]

Iisdem pæne verbis Aristarchi partes arroganti sibi Paschalio Grunius irridebat [3]; lingulaca nunc blateroque inter pocula desævit,

1. *Poemata*, p. 125.
2. *Ibid.*, p. 101.
3. Quin etiam unum et viginti versus e priore contra Grunium carmine desumptos in hanc de parasito satiram Turnebus transtulerat, quos poematum in editione (anno 1580) omissos Argentoracensis editio retulit. (*Opera*, III, p. 84.) — Idem me quadam epistola Stephanus Pascasius certiorem fecit (*Lettres de Pasquier*, t. II, p. 705) : « Il n'est pas que dès l'an 1564 le grand Adrian Tournebus, accusant les cinges de cour... ne m'ait honoré de ces trois vers :

Pascasius si quid limavit doctius olim, etc. »

Quos supra cum alio nomine proprio relatos vide. Carli namque (Lanciloti) nomen in priore carmine scriptum est; quæ quidem mutatio probat nimirum Reghiensem episcopum Petro Paschalio cujus opus Gallice vertisset, omni studio et voluntate faventem Turnebi maledicta haud æquo animo tulisse.

Ad annum quod attinet, a Stephano Pascasio positum, factum est forsitan ut τὸν βασιλικὸν παράσιτον Adr. Turnebus anno 1564 in lucem tantum ediderit, sive chartam manu exaratam amicis legerit, sive libellum typis mandaverit (quem vero in nulla

quasi torrens nugarum verborumque flumen immissum. Qui modo scriptores ac poetas invidus elevavit, jam, litteris omissis, de re publica temere disputat :

> nunc iste potentes
> Committit reges, placido mox fœdere jungit [1].
> Turcarum historiam memorat nostramque revolvit.

Utque Turcarum « fidem artesque bonas » extollit, ita reges nostros mendaciorum ac desidiæ insimulare audet. Cujus criminis invidiam nescio an Paschalius meritus sit [2]. Sed unum de ejusdem vita Turnebus admonet quod historicos fugit, scilicet eum curulem magistratum affectavisse, et, ut videtur, ad eumden designatum esse ; repulsa vero turpi afflictum, quod interroganti censori juris imperitissimus nihil respondisset, curuli deposito, ad mensam parasitum rediisse :

> Si quis eum fortasse cupit cognoscere, dicam :
> Vir quadratus hic est, habito bene corpore, vultu
> Purpureo rubri miniato murice vini :
> Ornavit quem Ser [3], nunc pingui vellere vestit
> Gallia, sed primo nudatum deseret anno [4].

Perlegenti vero Joachimi Bellaii alteram quam dixi, satiram, quantum inter hunc βασιλικὸν παράσιτον et aulicum illum poetam distet, apparebit. Etenim malum quemdam versificatorem cui tamen ingenium callidum scribendique de levioribus argumentis facultas

bibliotheca reperi). Petrum autem Paschalium non ante annum 1562 ab aula emigravisse ex Dionysii Lambini quadam oratione accepimus. (Pridie quam librum II Aristot. de arte dicendi explicaret, a. 1563. Vide p. 5.) Igitur mihi verisimilius est satiram circiter annum 1560 aut 1561 a Turnebo jam conscriptam esse ; quæ illi ad Leoquernum epistolæ Bellaique versibus posterior evasit.

1. Forsitan orationem quam a Paschalio scriptam Puteanus sensit, hoc loco Turnebus irriserit : « Ad principes christianos cohortatio pacificatoria. — Lugduni apud Joan. Tornæsium, 1555, cum privilegio regis. » (Cf. Bibl. Nat. fonds Dupuy, n° 624 ; et apud P. Bonnefon, *ibid.*)
2. *Poemata*, p. 106. Nihil quidem tale in « cohortatione pacificatoria » reperi.
3. Serica scilicet ornamenta quibus magistratuum toga distincta erat.
4. *Poemata*, p. 103.

non deerat, satira sua Bellaius proposuit [1] ; principum autem assentatorem a Turnebo derisum vidisti, qui in sermonibus maledictisque conserendis multo magis quam in carminibus excogitandis elaboraret ; scriptoris tamen et historici famam interdum affectantem ; sed oratione soluta contentum, latinamque, non gallicam linguam adhibentem, ut qui procul a se vulgares artes jacere profiteretur.

Adde quod de « parasito » versus postquam Bellaii carmen pervulgatum sit, conscriptos esse demonstravimus [2] ; titulum igitur, leviter quidem mutandum, ab amico Turnebus desumpsit ut idem argumento novo conversione quadam accommodaretur.

Quæ cum res ita fuerint, Adrianum Turnebum Pleiadis poetis auxiliatum esse haud immerito alias contendi [3], siquidem et artes ingenuas malis ab artibus acriter defendit, et egregios utriusque linguæ poetas ab imperitorum invidia, Gallos denique ab Italorum fautoribus acutissimis versibus vindicavit. De Bellaio præsertim non nihil meritus est, cum eidem unius satiræ totam materiam præbuerit, alterius autem conscribendæ consilium forsitan suppeditaverit. Id enim non infitiandum est ex epistola ad Leoquernum « aulicum poetam » ita velut evasisse ut Paschalio nova grandiorque persona in hoc Bellaii carmen successerit ; in quo tamen interdum in eumdem hominem quædam convenire dicas [4]. At illic

1.
> Car un petit sonnet, qui n'a rien que le son,
> Un dixain à propos, ou bien une chanson,
> Un rondeau bien troussé, avec une ballade
> Du temps qu'elle couroit, vaut mieux qu'une Iliade.

Quem vero « Apollinem aulicum » Bellaius vocavit, is Latinos Græcosque despicit et ignorat ; verum argumenta suis carminibus ex aulæ moribus vitaque ducit. Versus autem incudi reddendos non curat ; nova fictaque verba refugit, sermone æqualiter fluente contentus :

> Car le vers plus coulant est le vers plus parfaict.

(*Du Bellay*, édit. Marty-Lav., t. II, p. 67 et sq. Nihil ex his in Turnebi satira legimus.

2. Vide supra p. 73, n. 3.
3. « *Henri Estienne et son œuvre française* », p. 185 ; cf. 179.
4. Ea quidem quæ ad aulicas magis artes quam ad poeticam spectant :

> Pour ce que de la court l'eschole c'est la table...
> Entre les courtisans du sçavant tu feras
> Et entre les sçavans courtisan tu seras...

aulici poetæ vix umbram Turnebus expresserat ; hic non injucundos versus scriptitans, vulgo simul et aulæ probandus, feminisque mirantibus verborum blanditias Veneresque commendans et allinens, Pleiade dignior adversarius quidam a Bellaio debellatus est.

Quis autem is fuerit, cujas et quo nomine, nescio dubitoque quisquamne unquam scire valeat. Concedo tamen nonnulla cum Sangelasii Mellini carminibus congruere [1] ; sed eadem versificatorum uniuscujusque quorum turba, Henrico II rege, confertissima fuit, maxime propria videntur. Quid quod Mellino quem prius ridiculis exagitavisset, postea Ronsardus amicum se restituit, Mellinumque morientem versibus egregiis, bonæ mentis testimonio, Bellaius decoravit [2] ? Neque mihi persuadeo ejusdem manes violandos Bellaium sibi in animum induxisse ; cui talis injuria nihil profuisset. Verum dicam quod mihi multo verisimilius est, aulicorum poetarum genus omne a Bellaio petitum ut versiculos et nugas summæ poesis artibus cedere juberet.

Nihil ergo admirandum est quod Paschalius in altera satira se ipsum non agnoverit ; sed haud immerito de priore carmine, id est epistola ad Leoquernum translata, ultionem ab amico deficiente exegisset, nisi sibi tacendum sapientius duxisset. Immo dedecoris accepti vulnus ita dissimulavit ut diuturnæ necessitudinis fœdera, publice quidem, solvere noluerit. Namque Joachimi Bellaii tumulo epitaphium inscripsit, his verbis conclusum :

« *Petrus Paschalius et vetus et verus amicus amico incomparabili dolens posuit* [3]. »

1. Cujus Mellini, neque Maroti modo poeticam ab anno 1549 Bellaius acriter castigaverat. (V. *Défense et Illustration de la Langue françoise*, IIe liv. chap. 4.)

2. V. Prosper Blanchemain, *Œuvres de Melin de Sainct-Gelays* (notice, p. 23). Cf. *Œuvre de Ronsard*, ab eodem (t. VIII, p. 22 et sq.) et Marty-Laveaux : *Pléiade Française, Ronsard* (notice prélimin.).

De Mellino « moriente », vel mortuo versus, anno 1558, Bellaius edidit. (Joach. Bellaii poematum libri quatuor ; apud « tumulos », p. 59, v°).

3. Quod epitaphium P. Bonnefon retulit (*ibid.*, p. 27). — Cf. Marty-Lav., *La Pléiade*, Appendices II, 384-385.

III

Quid de Joachimo Bellaio Petroque Ronsardo poetis Adrianus Turnebus senserit.

Qui sub iisdem signis, ut ita dicam, in aulicos cum duobus Pleiadis nobilissimis poetis decertaverat, eosdem sibi veneratione quadam addictissimos Turnebus habuit. Nam viri doctissimi simul et latini poetæ laudes dixerunt :

Si decus eloquii nobis concederet Hermes,
    Doctrinam Pallas, carmina Pierides,
Non ego facundi cuperem Demosthenis ora,
    Esse nec optarem quod fuit ipse Plato :
Nec mihi Mæonidæ peteretur Musa, quid ego?
    Quod triplicis laudis Turnebus unus habet [1].

Hæc latine Bellaius, splendidiora quidem cum modestius de se ipso Turnebus senserit :

Nunc vertens agitur paulo plus annus, haberi
In vatum numero cum cœpi, versiculorum
Ob tricas apinasque... [2]

Aliis vero distichis magis sapiebat Bellaius, quæ temporis sui moribus se gerens in « Allusionum » librum inseruit :

Quique tot instructus dotibus ingenii,
Nil nisi limatum profert atque arte politum,
    De facili torno quam bene nomen habet [3] ?

Gallicos autem Petri Ronsardi versus, cum Adriani Turnebi « tumulum » poeticum ad hujus opusculi finem reservaverim, hoc

1. « Hos olim versus lusit in Adr. Tornebum Joach. Bellaius. » (V. A. Turn. tumulum apud Fed. Morellum 1565 editum, f° 244, v°.)

2. *Poemata*, p. 43. Anno scilicet 1559 cum contra Grunii epistolam responsionem edidit ; itaque versiculos dixit quos de Caleto capta anno priore fecerat.

3. « Joach. Bellaii Xenia seu illustrium quorundam allusiones », apud Fed. Morellum, 1569 ; f° 12 v°.

in capite ponendos satius duxi. Vehementius et ipse orationem inflavit, dum ex infinito maris æquore similitudinem trahit [1]; quanquam Petro Ronsardo sublimia verba sunt concedenda.

At multo jucundiora majorisque momenti fuerunt ea quæ de suis laudatoribus Turnebus ipse rursus prædicavit. Primum Bellaii funus venustis hendecasyllabis deploravit, ut quidquid ille de « latina gallicaque lingua » meritus esset, una feliciter exprimeret :

Bellai, gremio Minerva docto
Quem fovit, Charis et venusta pavit
Succis ambrosiæque nectarisque :
Os cui Suada lepore tinxit omni...
Sic nos deseris occidisque letho,
Manes ante diem petens sepultos?
Sic florentibus hinc migrans in annis
Et luctum et gemitum relinquis orbi
Qui desiderio tui senescit?
Namque omnes veneres, joci, lepores,
Atque omnis decor, elegantiæque
Tecum cespite conteguntur uno... [2]

Juvit et Adrianum speciosas translationes fundere, dum lusciniolæ canoræ Joachimum aut cycno jam morituro recentissima carmina proferentem æquiparat [3]; at cum metaphorarum licentia poetis minime sit interdicendum, hæc nobis gratior sit quam in nobilissimo « Desideriorum » loco Bellaius usurpavit [4].

De mortis avaritia, quemque ingenio ac virtutibus præclarissimum sufferentis, malos autem et improbos fastidientis Turnebus con-

1. Comme la mer, sa louange est sans rive ;
Sans bord son los...
Les bouts du monde où le soleil arrive,
Grands comme luy, luy servent de tombeau.

(*Ronsard*, édit. Blanchemain, t. VII, p. 239-240 ; — cf. *Adr. Turnebi opera*, t. III, p. 105).

Vide etiam *Ronsard*, *ibid.*, t. IV, p. 31 :

« Un Turnebe, un Budé, un Vatable, un Tusan... »

2. *Poemata*, p. 81. « Joachimi Bellaii Andini Poetæ clariss. tumulus ». Hendecasyllabos enim ad phalæcium carmen Turnebus duxit.
3. *Ibid.*, p. 82.
4. V. « *Les Regrets* », sonnet 16 (édit. Liseux, p. 326).

questus est. Equidem dubito, si litteris Bellaium fata non invidissent, num ætate provectior majus vel exactius aliquid extulisset ; felix ergo dicendus est cui laudi suæ veluti superesse contigit.

Huic priori funebris carminis parti Turnebus alteram addidit, qua et alios cum Bellaio sibi dilectos commemoravit. Funestus enim Musis litterisque « annus iste » fuit qui Julium Cæsarem Scaligerum, Franciscum Duarenum, Æmarum Ranconetum, Petrum denique Gallandium peremptos morte numeraverit [1]. Gallandii vero magistri sui et collegæ desiderium Turnebum tam vehementer urget ut ad hanc memoriam concelebrandam Bellaii laudationem reliquis in versibus convertat. Neve se neglectum Joachimus doleat ; qui sub inferos descendens in campis Elysiis bonorum ac sapientium concilio fruiturus, a Gallandio « obviis lacertis » excipiatur ; conversantes ambo sermonemque conserentes de Adriano suo nonnulla reminiscentur [2]. Noli vero succensere quod fama et ingenio impares una Turnebus conjunxit, siquidem humanitatem et antiquas litteras unus et alter pari studio complexus est ; illis autem ex fontibus ea Bellaius et Ronsardus hauserunt quibus vernaculam linguam sibi defendendam et illustrandam aggrederentur.

Hujus consilii vim et amplitudinem Turnebus adeo mente comprehenderat ut Ronsardum cum antiquis poetis conferre auderet :

Ronsardus carmen Musis et Apolline dignum
Qui pangit, qui Grajugenæ Latiæque Camœnæ
Ornamenta suis aspergit plurima chartis,
Atque indicta prius dias in luminis auras
Multa viris priscis auctor doctissimus effert... [3]

Qui fuerat discipulus, verborum copia nitidisque translationibus æmulus evasit :

1. *Poemata*, p. 82-83. Annum et proximos annos rectius dixisset, cum Scaliger a. 1558, Duarenus et Ranconetus 1559, Bellaius autem 1560 obierit. — De Petro Gallandio, vide supra, p. 19.
2. *Ibid.*, p. 84-86. Nempe satiræ cujusdam, de qua mentionem feci (v. supra p. 11, nº 4) nimirum oblitus esset Petrus Gallandius, si tam liberaliter Bellaium excepisset.
3. *Poemata*, p. 97-98.

Vermiculata notis variant emblemata pictis
Cui versum, gemmæque nitent et carmina signant :
Purpureis veluti se floribus induit arbos,
Pingitur in varios aut pratum vere colores,
Aut picturato prætexens aera limbo
Ducit ab adverso speciem Thaumantias astro...

Se vero primum Gallicam linguam Musarum artes edocuisse Ronsardus profitebatur; cui dicto Turnebus non reclamitat : Faunos Satyrosque addens ante hunc incompta decantavisse carmina quæ Saturninos numeros non immerito vocares, pastorum vel upilionum fistulis accommodatos [1]. Quin etiam nullam sine divina mentis incitatione poeticam esse Ronsardus affirmabat [2]; quem hoc ipso afflatu commotum Turnebus ostendit :

Primus at hic plenos deprompsit pectore cantus,
Et sensus vivis animavit vocibus : ipso
Implevitque deo, quem cordibus intus anhelis
Enthea verorum spirant præcordia vatum [3].

Talibus equidem versibus concludam quæ de Turnebo gallicæ Pleiadis adjutore disserenda mihi fuerunt, cum nullum ingenii sui ac laudis insignius præconium Ronsardus apud æquales habuisse visus sit.

1. Iisdem pæne verbis Clementis Maroti Mellinique et aliorum carmina a Bellaio Ronsardoque elevata vidimus. (Vide supra p. 72 et 76 ; cf. *Défense et Illustr. de la langue françoise*, livre II, chap. IV, et passim ; édit. E. Person.)
2. Quod fusius in carminum præfationibus et Arte poetica P. Ronsardus exposuit.
3. *Poemata*, p. 98. Gallicos autem versus cum hac subscriptione « A. de Tournebu » in Ronsardi tumulo Blanchemain posuit, quos ab Adriani Turnebi filio, Adriano nomine, scriptos melius dixisset. (*Œuvres de Ronsard*, t. VIII, p. 282.)

QUARTUM CAPUT

De carminibus quæ ad liberales disciplinas Regiumque Collegium spectant. — Quid de « christiana religione » cum versibus tum oratione soluta Adrianus Turnebus declaraverit.

I

De virorum doctorum epitaphiis, et ad familiares versibus (1559). — Quantum civilia bella Turnebus deploraverit ; de præfationibus quarum una ad Hospitalem, altera ad H. Memmium cum « Adversariorum » libro præmissa est. (1564-65.)

Ad Regium Collegium humanioresque disciplinas Adriani Turnebi carmina rursus nos revocant ; illis autem oratione soluta scriptis de quibus in primo capite disserui, una et altera tantum addenda est epistola ut, annorum ordine servato, quem ipse vivendi cursum perfecerit, usque ad extremum finem animo veluti complectamur.

Magnam litteris jacturam annis 1559 et 1560 allatam supra vidimus [1] ; cum autem de Duareno Bellaioque satis dictum sit, ad Petrum Gallandium revertamur, quem sibi amicissimum ac pæne « fratrem » Turnebus haud semel laudavit. Hujus enim tumulo cum breviores versus, ut decuit, insculpsisset [2], Gallandium, cum Bellaio jam a se defletum, rursus in poetico fragmento desiderio suo prosecutus est :

Fontis Hyantei quæ sanctas volvitis undas
Pegasides, gemini colitisque cacumina montis,
Ferte sacras huc fontis aquas, fluat ubere largo
Nostris unde genis lacrymarum largior imber [3].

1. Vide supra, p. 79.
2. *Poemata*, p. 86.
3. *Ibid.*, p. 113.

Quippe Musas quarum alumnus et sacerdos factus erat, tantopere Gallandius dilexit ut eis « solido de marmore templa » posuerit

numerosa Lutetia celso
Suspectat quæ posta jugo... [1]

Cum annos viginti natus Georgius Bona Transilvanus eodem anno obiit, generosissima gente oriundum, animi dotibus insignem omnique doctrina jam exornatum adolescentem Joannes Sambucus quo magistro et quasi parente usus erat, oratione funebri exornavit [2]; idem a doctissimis Europæ viris impetravit ut immaturum funus græco latinove sermone concelebrarent. Epistolas igitur et epigrammata Paulus Manutius, Petrus Victor, Franciscus Robortellus, Joannes Faseolus latine ad Sambucum miserunt; hos enim in Italia docentes Georgius audierat [3]; Michael autem Sophianus et Andreas Duditius græce scripsit; quibus epitaphiis utramque linguam sua vice Sambucus usurpans versus addidit. In hoc gentium universo quasi concentu Gallia Turnebum oratorem habuit [4].

1. Becodiani scilicet collegii ædes quibus reficiendis suas ipsius facultates Gallandium impendisse Turnebus testatur. Cum hoc loco Turnebiano conferenda est « *Ode ad Guliel. Gallandium... authore Claudio Roilleto Belnensi : cui accessit ejusdem de obitu Petri Gallandii...* (*secunda editione aucta*) *Elegia* ; Parisiis e typogr. Olivarii de Harsy. 1559 » (*Bibl. Mazar.*, vol. 18771, f° 106) ; P. Gallandium in agro Becodiano, quondam deserto, Musis ædes magnificas exstruxisse Roilletus prædicat ; addit et illum de Regiis professoribus egregie meritum esse, quos in hanc domum sacram recipi voluerit ; cardinalem ipsum Lotharingum (collegii præsidem) eodem sæpius venisse, rectorisque mensæ modicæ accumbere solitum.

2. « *Oratio funebris in obitum generosissimi ac magnifici Georgii Bona Transylvani Domini in Landsechr ac Lakupach, qui obiit vi. septemb. 1559. authore Joan. Sambuco P.* [*Pannonio*] » cum epistola ad Nicolaum Olahczasar (Georgii Bonæ fratrem) Patavio Calend. oct. 1559 ab eodem præmissa. Hæc oratio cum alia de alio « Parisiis apud Ægidium Gorbinum, 1561 » edita est. [Vide « *Bibl. Mazar.*, n° 47221, 2 et 3]. »

Cibinii, in Transylvaniæ oppido celeberrimo, Georgiam Bonam natum esse Sambucus refert ; illius matrem Ursulam fuisse quæ « vetustissima Vaivodarum Mœsiæ inferioris et penè Flaccidii gentilium familia », « amplissimi archiepisc. Strigoniensis » Nicolai Olahi soror esset. — Pater autem Georgii Georgius ipse Bona nomine « suæ civitatis et nobilitatis princeps », maximo imperatori Ferdinando socius fidelissimus exstitit. (*Ibid.*, p. 4 et sq.)

3. Georgius in Italiam ab avunculo Olaho cum sodali Nicolao Istuanffii missus erat ; ibique per annos quinque litteris egregiis studuit. (Vide apud Sambucum, p. 5 et 6.)

4. Vide in opere Sambuci, p. 17 : « *Epistolæ aliquot et epigrammata funebria doctissimorum ætatis nostræ virorum, de obitu Georgii Bona* » in quibus Adr. Turnebi carmen legitur. — Cf. *Poemata*, p. 93 ad 96.

Quid quod humanitas simul et fides christiana magnam sibi cum Georgio Bona spem ereptam senserant ? Qui, si fata sivissent, Pannoniorum antiquos fines a Turcarum impia dominatione liberasset :

Si tibi primævo, juvenis generose, cadendum
Ætatis sub flore fuit, cur lectulus ægro
Exhausit potius vitam, quam barbarus ensis
Martia tentanti pro relligione pericla [1] ?

Sed in medio fratris hymenæo indignum mors abstulit,

Ursula quæ nati curabat pronuba tædas...
Alterius nati producit funera corpus [2].

Avunculum Olahum, « pontificum decus », qui lætus connubialia vincula sanxerat, nunc sacris feralibus parentantem viderunt [3]. Qui vero pro patria mori maluit, illum patrii heroes atque indigetes, illum Corvinus Getarum victor excipiet ac lauro donabit :

Velle etenim fecisse fuit, propensa voluntas
Factis æqua pari mercede rependitur illic [4].

Quod si de Georgio Bona carmen illis versibus quibus aliorum memoriam Turnebus mandavit, adjunxeris [5], mecum judicabis funebre dicendi genus ab eo eximie tractatum esse, sive breviore sensum epigrammate concludit, sive materiem exornandam fusius evolvit.

Sunt autem alia epigrammata, metro quanquam elegiaco scripta, quæ sibi satira aut « sermo merus », ut de suis epistolis Flaccus

1. *Poemata*, p. 95 ; cf. 94. De rebus Pannonicis illo tempore perturbatis, vide apud Sambucum, *ibid.*, p. 7.

2. Servii in loco Virgiliano (Æneid., IX, 486) interpretationem Turnebus secutus est « Funeras antiqui eas dicebant ad quas funus et præcipuus in funere dolor pertinet, ut matrem, sororem. » — Sopronium (hodie *Œdenbourg*), Hongriæ in oppidum sepeliendus G. Bona ductus est. Cf. Sambucum, p. 6, v°.

3. *Poemata*, p. 95. Nicolaus Olahus qui Ferdinandi regis consiliarius fuit, Maximilianum sacravit : « *Compendiarium chronicum* » et « *Hungaria sive de origine gentis* » ab eo conscripta sunt.

4. *Poemata*, p. 96. De Mathia Corvino agitur, qui XV sæculo rex Hungariæ fuit.

5. Vide supra, p. 48 et 78.

ait, jure vindicet. Cum vero de gravioribus jam sim acturus, leviora mihi liceat breviter cursimque præstringere.

Joanni Gorræo medico Nicandri Theriaca interpretata Turnebus latinis græcisque distichis eo libentius gratulatus est quod sibi ægrotanti jamque morituro illius arte salus restituta esset [1].

At si doctioribus medicis, Hippocratis Galenique discipulis favebat, malos et imperitos ridiculis carpebat ut istum qui melli soporiferam inesse virtutem contenderat; quas de mellitis crustis nugas cum Joanni Pelerino collegæ suo miserit [2], dubito eumdemne aliis versiculis allocutus sit, quibus « typographicam » artem bibliopolas concelebrantes ostendit :

ubi cælato cœpere elementa metallo
Semper victuros multiplicare sonos [3].

Ut Joachimum Bellaium Carolumque Utenhovium, juvit et Adrianum ejus generis versibus alludere quos gallico quidem sensu, non latino « allusiones » dixerunt. Nam Leodegarii cognomine memorato, quercu nullam arborem sibi gratiorem profitens exoptat ut olim æterna viridique fronde suum ipsius bustum inumbret [4]. Cujus voti memor amici tumulo versus imponendos Leodegarius curabit. Jamque vivum illis exornaverat quos in « farragine poematum selecta » legimus :

Ut teneras segetes refovet nix fusa per agros
Ars tua sic animos recreat et reficit [5].

1. *Poemata*, p. 99. Cum autem Gorræus « Nicandri theriaca et alexipharmaca, græce et latine » primum 1549 anno, dein 1557 edidisset, non de morbo hic agitur quo Turnebus mortuus est. — Inter venena mortifera, invidiam scilicet et calumniam numerandas poeta censet, quibus remedium nullus medicus afferre valeat. (Vide græca disticha, *ibid.*); in latinis autem de Rochone Chordaque apud Parisiensem « facultatem » medicis Turnebus mentionem facit, a Gorræo petens ut eos « subsellia prima tenere jubeat », scilicet vel ad « decanatum » vel ad dignitatis alicujus munus promoveri.

2. *Poemata*, p. 103 ubi litteræ tantum I. P. positæ sunt ; sed Joannis Pelerini nomen in Argentoracensi editione inscriptum est. (*Opera*, III, p. 84.)

3. *Poemata*, p. 104 « Ad D. [dominum] Joannem » ; hic potius typographus quam scriptor fuisse mihi videtur « cujus orgia bibliopola frequens studiosis votis concelebrat » ; forsitan Joannes Guttenberg significatus sit.

4. *Poemata*, p. 100.

5. *Sic*, pro rĕcreat « *Farrago poematum*... t. II, 1560. » f° 410 v°. — Quos versus jam in « *Prælectionum et poemat. libro* » 1549. Leodegarius posuerat, f° 96, v°.

Magistrum videlicet eloquentem significari voluit quem prius Jacobo Tusano succedentem salutaverat [1]. Poetæ vero munera et interdum munuscula quibus ipse donabatur, Leodegarius gratissimus excipiebat :

Turnebe omnibus e meis amicis
Antistes mihi millibus trecentis,
Misisti vetulo tuo sodali
Fratrique unanimo mihi Calendis
Jani versiculos, Catullianis
(Multis partibus) eruditiores... [2]

Inter quos nonnulli quidem quibus jam occurrimus, annumerandi sunt [3] ; at « innumera » Turnebi fuisse epigrammata Leodegarius testatus est quæ in lucem non venissent, « ut merito dici potuerit gravissimorum hominum facetissimus et facetissimorum gravissimus [4]. »

Verum, ubi Michaelem Hospitalem Turnebus compellat, etiam ludens paulo majora canit et « quæ sint consule dignæ » ; Aristotelis enim simulacrum antiqui operis quod Hospitalis vultum referebat [5], ita describit ut utriusque vitam animumque inter se conferat :

Ille suæ patriæ Pellæo diruta marte
Hostili emeruit tecta refecta manu.
Nostram hic, quæ præceps civili impulsa furore
Corruit, in vitam restituitque gradum.

1. « *Farrago...* » f. 397. Cf. « *Prælectionum...* » : f. 82 ; magnifico etiam carmine primum *Adversariorum* librum anno 1564 Leodegarius cecinit : vocem enim nimis inflavit. (Vide in limine editionis.)

2. « *Farrago...* », f. 387.

3. Vide supra p. 54 et sq. ; 68, 72, 84.

4. *Opera* (Turnebi), III, p. 100. « Oratio funebris... »

5. Hanc argenteam imaginem quæ « Hospitali donata est ab H. Memmio Lugduni, anno 1564 » complures poetæ « lusu » quodam certatim descripserunt Henricumque Memmiadam dixerunt, ut illius Memmii, a Lucretio salutati, nomen revocarent. Petri Montaurei, Valentis Pimpontii, Dionysii Lambini, Leod. a Quercu, Nicolai et Francisci Perroti, Claudii Faucheti, Jacobi Fabri, Thomæ Sibiletti, Nicolai Vergecii, Th. Bezæ, Jo. Aurati, Claudii Faucheti, Antoni Goveani carmina cum Adr. Turnebi carminibus conjuncta in eodem volumine et ex H. Memmii bibliotheca producto vide. [*Bibl. Nat.* ms. lat. 8139 ; f° 90 et sq.] ; Lambinus autem suos versus libello inseruit, cui titulus est : « *Orationes Æschinis et Demosthenis inter se contrariæ.*,. 1565. »

Ille suæ patriæ leges et jura rogavit :
Hujus in edictis nostra reposta salus [1].

Sin autem Hospitalis Galliam principum factionibus perturbatam, « Hugonotorum » cædibus cruentatam non omnino restituit, saltem, pace apud Ambaciam conclusa [2], « quantum potuit festinantia patriæ fata distulit ». — « Tu tamen auctoritate, vel potius majestate tantum motum tumultumque, quantus vix unquam exstitit, pene verbo composuisti atque sedasti. » Hujus recentissimi beneficii memoriam Turnebus « Adversariorum » suorum duplici velut nuncupatione consecrari voluit [3].

Namque ad Hospitalem oratione soluta gravissimam epistolam, et hexametris carmen lepidissimis conditum cum primis commentariorum libris duodecim misit [4]; quanquam epistolæ nihil novi versus addebant ; verum bis repetita placeant, dum modo verborum venustas numerusque concinnus aures permulceat :

Si manibus possem spirantes fingere ceras,
De Pario similes si scalpere marmore vultus,
Si vivo possem tabulas animare colore,
Ducere si facili viventes ære figuras :
Exprimeret te cera, color, lapis atque metallum,
Omnibus inque locis tua cives ora viderent,
Et pacatorem te Gallia tota sacraret... [5]

Cum vero « patriæ fata gemens et lugens animi angore conficeretur, medicinam levationemque doloris » sibi e litteris petendam esse Turnebus duxerat. Cumque in tanta rerum perturbatione « seria studia animus refugeret et aspernaretur [6] », scriptoribus

1. *Poemata*, p. 97.
2. Die 19 mensis mart. 1563. Prius vero quam civile bellum exarsit, animos Hospitalis conciliandos tentaverat, colloquio Possiaci habito (1561), edictoque regio mense januario a. 1562 prolato.
3. « *Adversariorum* tomus I... » — « Michaeli Hospitali Franciæ cancellario Adrianus Turnebus S. D. » idibus quintilibus 1564.
4. Vide in eodem libro. — Cf. *Poemata*, p. 75-78.
5. *Poemata*, p. 75.
6. V. in *Adversar.* tomo I ad Hospitalem epistolam. De civilis belli cladibus vix unius fragmenti versus viginti musa velut abhorrens Adr. Turnebo subjecit :

antiquis « veluti cursitans » studebat, ut « quidquid ex tempore subitoque in mentem veniret, tumultuaria scriptura comprehenderet » — « Nonnunquam e chirographis editiones falsi convincebam ; modo in corrigendo conjecturæ dabam et ei impensius liberiusque indulgebam : quod errores eo tempore existimarem audacter tolli posse, quo homines impune sciebam necari [1]. » Hæc de suo tanto labore non arrogantia, sed festiva dixit :

Extenuare tibi, non amplificare paramus
Nostra...
Qualia quæ balbi dictantur voce magistri
Cirratis pueris; nec jam cantantur ephebis [2].

Nonne Græcorum artem eximiam scriptor meminit?

Quæ sacrata tibi sic sunt et vota Michaël,
Certa salus patriæ jurisques antistes et æqui,
Ut Samiæ divis capides vel fictilis urna [3].

Poetam igitur cum poeta compellavisset, versus Hospitalis ipse rescripsit :

Me tam præclari noli, Turnebe, putare
Muneris oblitum, quod semper et omnibus horis
Contrecto manibus, morbi solamen acuti...
Unde legens disco veterum secreta librorum,
Aut revoco in mentem longos desueta per annos.

Cumque commentariorum duodecim alios libros sibi in manibus esse Turnebus significavisset, cujus hydræ

linguæ tot et ora sonant, tot surrigit aures,

ab amico petiit Hospitalis ut operi conficiendo quam maxime diligenter instaret [4].

Esse quid hoc dicam ? Quod belli facta profani,
Et civile nefas temerata pace probamus ?

etc. *Poemata*, p. 125-126.
1. *Ad Hospit. epistola* (*ibid.*).
2. *Poemata*, p. 76.
3. *Ibid.*, p. 78.
4. « *Mich. Hospitalii... epistolarum seu sermonum libri sex* », p. 285.

Anno enim sequente, unum ante mensem quam obiit, « Adversariorum » tomum secundum « Errico Memmio, libellorum in Regia magistro » dicatum Turnebus in lucem edidit [1]. Quæ vero in epistola præfatus est, doctissimi viri modestiam et judicium rursus demonstrant. Tantum abest ut istud observationum notarumque genus magnam sibi gloriam allaturum speret, ut « emendatiunculas et nudam verborum enodationem in infima litterarum provincia » ponenda fateatur ; at sunt hujus ætatis quasi peculiares fructus ; « aliis enim alios oppugnantibus, innumerabiles libri proseminati sunt : morbique contagio ad jurisconsultos quoque pervasit ». — « Quanquam hic eos plus diligo, quam in litibus : mallemque de vocabulis inter Grammaticorum cathedras disputarent, quam in subselliis tribunalium jus venditarent, Romanorum præsertim, quod non solum plebem, sed nobilitatem contra æquum et bonum multis hominibus vectigalem reddit et obnoxiam, atque his legibus obstrictam tenet, quarum scientiam discere nunquam possit, ab alio semper emere cogatur [2]. »

Talia Turnebum, Hospitalis familiarem et, ut supra dixi, consiliorum illius conscium [3], cum Henrico Memmio egisse non admiror : antiquitatis enim quamvis acerrimus fautor in ceteris exstaret [4], senserat vir prudens temporibus recentioribus præteritas obsoletasque leges non accommodatas ; sed ex suo jure quemque populum, quamque civitatem bene moratam pendere rem maxime necessariam existimabat.

Ut autem ad grammaticam cum Turnebo redeamus, de ipso « Adversariorum » titulo questus est qui, se imprudenti et ignaro, priori suo libro præscriptus esset [5] ; addit alterius exemplar « cum multis esset locis deletum, inculcatum, transpositum, male scriptum » pejus a librariis transcriptum fuisse et excusum, eo tempore

1. « Ad Erricum Memmium » epistola Parisiis 5 kal. Maias anno 1565 data est. (V. librorum indicem.)
2. *Adversar.* t. II ; ad Memmium epistola.
3. Vide supra p. 49.
4. Vide supra p. 23, n. 1. Adde quod jurisconsulti et Regii professores sibi invicem et acriter invidebant. Cf. p. 17, n. 3.
5. *Adversaria* Romani nuncupabant tabulas quasdam ubi cursim notas scriptitabant. (V. Cic. *Pro Roscio Comœdo*, 2.)

quo « lenta quadam morbi tabe se miserum in modum excruciantis, ac ne nunc quidem dimittentis » ipse laboraret. Veniam igitur a candido judice eo magis sibi concessum iri sperat, quod operis Memmius auctor fuerit ; qui enim, bibliotheca « tanquam Musarum æde » litterarum studiosis aperta, sua etiam doctrina Turnebum ipse levaverit [1].

Hæc Adriani Turnebi suprema epistola, verbaque pæne ultima fuerunt ; sed antequam ejus obitum enarrem, alia mihi præfatio, alia etiam carmina perlegenda sunt quæ cum in idem argumentum caderent, ad hujus disquisitionis finem reponenda curavi.

II

Quo modo Regiorum professorum utilitates a Turnebo defensæ sint ; totius et « Universitatis », patrocinium contra « Jesu Societatem » ab eodem susceptum sit. (1559-1564.)

Etsi perbreve Francisci II regnum fuit, multum detrimenti litterarum studiis attulit. Namque primum Regii professores pecuniæ triennalis quæ legitima pro mercede fisco eis descripta erat, nihil fere jam acceperunt [2]. Inde alii cathedras deserere, se gratuito professuros negantes ; alii quos officio deesse puderet, cibario destituti, indignam paupertatem tolerare. Qui fuerint illi, non omnino compertum est ; Joannem quidem Auratum constat non ante Collegium repetiisse quam huc et pecunia, anno 1562, rediisset [3]. At scientiæ discipulisque Dionysius Lambinus et Adrianus Turnebus

1. *Adversar.* t. II, ad Memmium epistola.
2. In annos vero singulos quadringentas et quinquaginta « libras » eis « honorarium » rex Franciscus concesserat. (V. Lefranc, *Hist. du Coll. de Fr.*, p. 363.) — Cf. Goujet, *Coll. Royal*, I, p. 142 et sq.
3. Vide D. Lambini orationem « postridie Idus dec., pridie quam Philippicarum Demosthenis explicationem iniret... anno 1562... » (editam Lutetiæ, a. 1563.) Illos quidem qui « a docendi laboribus abstinendum censuerunt » Lambinus nominare non vult ; addit Auratum cum Leodegario et quibusdam aliis paucis post diebus Turnebi suique ipsius exemplum consecuturos ; « de ceteris qui Lutetia absunt quominus dicat, tempora sunt impedimento. » — Cf. Marty-Lav. (*Œuvres de Dorat*, p. xxiv.)

fidem integram servaverunt. Hunc enim morbus tantum coegit ut paulo temporis in lectitando cessaret [1].

Injuriam vero non æque passus, res sibi aliisque a fisco repetendas jam antea decreverat ; testes sunt epistolæ duæ, una ad Franciscum Olivarium, altera ad Carolum Lotharingum, eo prorsus ordine conscriptæ ut illi incassum prius missæ hæc acrius institura successerit [2].

« Cancellario » magnifice salutato collegii sui querelam ita Turnebus exponit :

indignor nos pacis commoda solos
Non sentire, quibus Phœbi sunt ocia cordi ;
Sed bellum tolerare famis, sine fœdere nostra
Usque triennali macie quæ viscera torquet [3].

Tum gravia salibus adspergens famis istius varias imagines describit seque ipsum et collegas ostendit jejunio confectos, exsangues, larvis et lemuribus simillimos ; quibus si rex justam pecuniam diutius inviderit, monachorum turbam mendicantem sequi vel in Thebaidem exsulare miseros jubeat. Jamque Turnebus ipse, libris damnatis, rastra sibi arripienda meditatur :

Arte et enim quamvis turpi pinguescere præstat,
Inter Lectorum quam jejunare cathedras.
Non moveor titulis, nec inani nomine Regum
Ambitiosus emo famam, si commoda desint [4].

1. V. apud Lambinum, *ibid.* — « Bellum autem impium conflatum et pestilentia sævissima coorta » causa fuit cur « vix quinquaginta auditores » Lambinus ejusque collegæ sperarent. » (*Ibid.*)
2. Prior igitur anno 1559 scripta est, quo Franciscus Olivarius « cancellarii » munus iterum repetiit ; cum autem anno sequente mortuus esset, in locum ejus Hospitalis designatus est. Igitur ad Hospitalem epistola quam in *Poematum* editione, ad pag. 50 legimus, anno 1559 a Turnebo missa fuit, qua « supremum præsidem rationum regiarum » alloquitur. Hanc autem, etsi ad « triennale honorarium » etiam spectat, ad hujus capitis finem reservavi, ubi de Turnebi religione mihi disserendum est. — Epistolam vero ad Carolum Lotharingum (*Poemata*, p. 55). « Francisco secundo rege scriptam fuisse nec tamen missam » Otho Turnebus conjecit (*ibid.*) ; sed mihi verisimilius est eamdem, manu quidem exaratam, Carolo nono jam rege, id est anno 1561 vel 1562 ad Cardinalem missam fuisse ; scimus enim a Carolo IX Lambinum pecuniam nondum absolutum efflagitavisse. Vide Lambini orationem « pridie quam librum II Aristotelis de arte dicendi explicaret » a. 1563 habitam ; cf. Goujet, *Coll. Royal*, I, p. 143 ; qui vero res obscure et confuse narravit.
3. *Poemata*, p. 46.
4. *Ibid.*, p. 47-49.

Qui « verbosas nugas » ad Olivarium se misisse fassus est, majoris momenti carmen, licet rebus iisdem eosdem jocos intermiscuerit, ad Lotharingum legendum dedit.

Carole qui tanti subiisti pondera regni...
Nec tamen interea Musarum dulcia linquis
Ocia, sed curas harum requiete relaxas,
Atque aciem mentis rerum molimine fessam
Thespiadum alterno reparas sermone sororum,
Sculptor uti gemmæ, visum viridante smaragdo [1]...

Summa quidem fuerat nummorum parvula nobis
Imperio subscripta tuo, sed curta soluta est
Atque arrosa prius...

Etenim summæ libras ducentas quæsitor sibi delibans reliquum ad quinquagesimam diem exsolvendum distulerat ; mox decrescentem summulam mensa permutata minuit et extenuavit, cum domi rescribi solvique unusquisque jussus fuerit ; quod pecuniæ superfuit, id quantulumcunque ad æs alienum dissolvendum consumptum est [2] :

animam prope nos debere putato !

Doctorum numero licet excipias unum et alterum

Dote sacerdoti quos vos ditastis opimi [3],

ast alios binominis Iri [4] pauperiem superare jure dicas :

Officiosa parum, minus ambitiosaque turba
Atque addicta libris...

1. *Poemata*, p. 55. Similitudinem haud pertritam ultimus hic versus induxit ; ut enim lapicidæ smaragdus offulgens oculos præstringit, ita viro publico rebus tractandis animus hebetari solet.
2. *Poemata*, p. 56.
3. *Ibid.*, p. 57. His verbis Gallandium qui sanctæ Mariæ in ecclesia « canonicus » fuerat (v. Goujet. *Coll. Roy.*, I, p. 442) profecto Turnebus non significavit, cum ille anno 1559 mortuus esset ; Danesius vero, episcopus Lavaurensis, unus aut alter certo fuit.
4. Cf. Odyssæam, carmen XVIII, vers. 5.
'Αρναῖος δ'ὄνομ' ἔσκε...
Ἶρον δὲ νέοι κίκλησκον ἅπαντες...

hos petitores aula regia non videt, sed reos creditor ante tribunal die dicta reposcit. — Equidem credo Turnebum res hyperbola quadam exsuperavisse ; neque enim professores regios « carceris municipes atque colonos » evasisse auditum est [1]. Sed ei forsitan fides major tribuenda fuerit, dum creditorum fores suas obsidentium turbam ostendit quos postico fallere soleat [2].

Carolus vero Cardinalis, quanquam egregiis litteris delectabatur, mediocres, ut vidimus, scriptores, ac pessimos benignius excipiebat [3]. At nunc poetarum commoda et dignitatem minus sibi curanda Turnebus animadvertebat, eo tempore quo nova Jesuitarum secta per Urbis mœnia subreperet, docendique jus et licentiam sibi vindicans Regium Collegium, jamque totam « Universitatem » in summum discrimen esset adductura. Senserat enim vir prudentissimus istos Visiæ gentis, utpote regni dominæ, gratiam aucupari, cum religionis confirmandæ speciem prætendentes liberioribus philosophiæ litterarumque disciplinis adversarentur. Quid quod blandientium sermonibus non Lotharingus modo Cardinalis [4], verum ipse Danesius, collegarum oblitus, aurem facilius præbuit [5] ?

Istam invidiam in se ipsos Universitatis doctores nonne improvide converterant qui antea regiis professoribus malis artibus obstiterant ? Nunc suis calumniis ipsi cædebantur [6]. Quemadmodum autem Sorbonæ theologos Turnebus refellerat, se suosque collegas

1. *Poemata*, p. 57-58. Cum vero pecuniam proximis et *æquatis* (id est felicibus) kalendis Cardinalis descripsisset, græcas kalendas facete dixit Turnebus ; quod idem Joannes Auratus allusit : (*Editio Basiliensis* ; secunda pars, p. 150 : ad Carolum Loth. Card.)

2. Quanquam aliquot mihi documenta probaverunt Adriano Turnebo vitam minime precariam fuisse cujus uxor Magdalena nomine Clemens domos nonnullas et prædia aliis elocaret. (V. *J. Pichon et G. Vicaire*, p. 65 à 70 ; 164 à 169.)

3. Vide supra, p. 68, n. 1.

4. Cf. Douarche « *L'Université et les Jésuites* », p. 57-60. — Ab anno 1551 Jesuitis Carolus Cardinalis apud regem Henricum II favebat ; eis autem fortiter restiterunt Senatus Parisiensis, Sorbonici theologi, ipse denique episcopus Parisiensis, Eustacius Bellaius. Hæc contentionis prima pars fuit usque ad annum 1564. (Infra vide.)

5. Danesius Henrici II « eleemosynus » ejusque filii præceptor factus erat ; episcopatum Lavaurensem circiter anno 1557 obtinuit. (Cf. *Goujet, Coll. Royal*, I. 385 et sq.)

6. Vide supra, p. 16 et 17. Cujus imprudentiæ Lambinus eosdem paulo post etiam admonebit : « intelligant sibi et nobis unum et idem propositum esse debere, ut studiosam bonarum artium juventutem erudiamus... » (oratio habita pridie quam librum II Aristot. de arte dicendi explicaret. 1563, p. 6).

juventutis corruptores esse negans, ita omnes in Universitate docentium ordines eodem crimine purgandos apud Carolum Lotharingum contra Jesuitas suscipit :

Quæ nova surrepit secta et mentitur Jesum
Dulce latrociniis prætendens nomen opertis,
Tartareis emissa vadis, spoliaria plebis
Instituit, speratque suos ditare latrones :
Jamque gregem pascit simulatio dira rapacem,
Semper inuncantem viduarum e viscere prædas,
Fallentem pueros et inertia pectora vulgi,
Vervecum in patria crassoque sub aere nati [1].

At melius satiræ versum a Juvenale sumptum non addidisset ; sibi enim ipsi rebusque contradixit, siquidem stolidis atque hebeti ingenio hominibus tanta simulatio calliditasque inesse nequivit.

O larvæ et lemures, vespertilionis habetis
Caligantis opes, et cæcæ pignora talpæ.

Nimis quidem odiosis verborum imaginibus Episcopi Clarimontis heredes Turnebus depinxit ; sed exercitationibus scholasticis alias artes nova secta miscebat quibus res suas adaugeret. Regiorum contra professorum paupertas demonstratur :

At nos, fallaces qui nec præstare sophistas
Possumus aut volumus, populum nec depopulari
Suevimus aut fraudare, solo nec vendere cælum :
Qui rectum virtutis iter sine fraude docemus,
Præmia quæ ferimus ? Vix ut toleremur in urbe
Quam spoliat prædo, togulam cui fibula nectit [2].

Dumque in ecclesia sacris indormientem « canonicum » quemdam nummorum divisor expergefacit, ex altera parte Turnebi vita operosa ante oculos surgit :

1. *Poemata*, p. 59-60. — Cf. Juvenalis decimam satiram, ad versum 50.
2. *Poemata*, p. 60.

At mihi, pervigiles quem pernoctatio fecit
Exsanguem ad lychnos, omnem exsuxitque medullam :
Aut, si quando vacat somno indulgere parumper,
Qui matutini surgo ad præconia galli,
Evigiloque fabris stertentibus atque quietis :
Inde juventutis studiosæ fingere mores
Aggredior, mentem ingenuis atque artibus orno,
Præbenda doctus quod fecit Gerso relicta [1].
Ut prætextata implevi subsellia turba,
Personuique meum rauco clamore theatrum,
Sportula nulla datur, non stips, non plumbeus assis,
Quem referam ad natos, vacuusque in tecta revertor [2]...

Neque solus inter æquales tantas ærumnas Turnebus passus est et conquestus ; eadem Buchananus versibus etiam latinis retulit, quibus titulus adscriptus est : « *Quam misera fit conditio docentium litteras humaniores Lutetiæ.* » Levior quidem et licet acerba, facetior Buchanani Musa fuit, Musis vale dicens, quam opprobria congerentis Turnebi satira :

Ite leves nugæ, sterilesque valete Camœnæ,
Grataque Phœbeo Castalis unda choro [3]...

Cujus carminis partem quæ ad poetarum infelicitatem spectabat, Joachimus Bellaius gallice vertit, docentium oblitus [4]. Verum ad utrosque respexerant illi qui litterarum humanarum dignitati atque utilitatibus serviebant, inter quos et Lambinum cum Aurato Turneboque numerandum Petrus Ronsardus dixit, quanquam Buchanani nomen immerito tacuit. Quid vero quod idem Ronsardus, Catharinam Mediceam alloquens ita res adulteravit ut Jesu Christi studio et amore se suosque æmulos omnes flagrare contenderit [5] ? Nisi Jesuitas sibi conciliandos prudentius duxerit.

1. Reliquerat enim Turnebus « præbendam » quam in collegiis magistri accipiebant, ut professoris regii munere fungeretur.
2. *Poemata*, p. 60-61.
3. *Editio Basiliensis*, prima pars, p. 62 et sq. — « *G. Buchanani Sylvæ, Elegiæ. Hendecasyllabi* » Parisiis, ex officina Rob. Stephani, 1567 : elegia I.
4. *Œuvres de Du Bellay*, édit. Marty-Lav., I, 435 et sq. « *L'adieu aux Muses.* » — Cf. meum librum : *Henri Estienne et son œuvre française*, p. 156.
5. Et nous, sacré troupeau des Muses, qui ne sommes
Usuriers, ny trompeurs, ni assassineurs d'hommes,

Quæ cum ita sint, hæc ad Carolum Cardinalem epistola prius mihi tractanda fuit quam illud carmen « *Ad Sotericum gratis docentem* » inscriptum attingerem ; quo pugnam cum iisdem Turnebus acriorem redintegravit.

Namque Clarimontis episcopi opibus freti, cum a senatu Parisiensi Sorbonaque nihil aliud nisi repulsam antea retulissent, tandem audaciores ita se gesserunt ut Lutetiæ collegium anno 1564 palam aperirent. Inde lis ante senatum rursus revocari, cum publice docendi licentiam, et in « Universitatis » ordines cooptationem Jesuitæ vindicarent [1].

In hoc rerum discrimine, Stephanum Pascasium « Universitas » sibi patronum elegit, Petrum autem Versorium Jesuitæ. Prius vero quam res ante senatum acta est (die 29 martii mensis anno 1565), satiram Adrianus Turnebus conscriptam jam in vulgus emiserat ; quibus versibus ad causam nondum dictam quasi præludebat :

Te gratis narras, Soterice [2], velle docere.
Ut gratis agat, ergo tuo suadeto patrono,
Qui vocem multo venalem venditat auro.
Procurator item facito tuus improbet aurum,
Summittatque genu nulla mercede redemptus...

Itaque Versorius Pascasium refellens negansque Jesuitas hereditate captata injuria potitos, istiusmodi calumnias ad « rhythmorum conditorem » remittet [3].

Qui portons Jesus-Christ dans le cœur arresté,
Ne sommes avancez sinon de pauvreté :
Lambin, Daurat, Turneb, lumieres de nostre age,
Doctes et bien vivants en donnent tesmoignage.
(2e partie du *Bocage royal*, à Cath. de Médicis. Édit. Marty-Lav., III, 293 ; anno 1564.)

1. Hujus historiæ gravissimus auctor Stephanns ipse Pascasius exstitit. (*Lettres de Pasquier*, t. I, p. 259 et sq. « à Monsieur de Fonssomme » ; t. II, p. 663 et 673 « à Scévole de Sainte-Marthe ». — Cf. II, 562, 566 et 794. *Recherches de la France*, livre III, chap. 42 et chap. 43 ; ubi totam Pascasii pro Universitate orationem leges. — Cf. Douarche (*l'Univ. et les Jésuites*, chap. V).
2. *Soterici* verbum e græco nomine Σωτήρ quo Christus significatus est, Turnebus derivavit. — *Poemata*, p. 71 et sq.
3. « Ce sont inventions du faiseur de rhythmes » ; v. P. Versorii orationem (*Œuvres de Pasquier*, edit. d'Amsterdam, t. I, p. 1097 et sq.). Pascasius ipse Adr. Turnebi latinum carmen gallicis versibus septuaginta duobus vertit · « Contre le Soterique

Te simulatorem comœdumque esse putabunt,
Nec stipe contentum censebunt esse minuta ;
Sed testamentis inhiare, lucrisque beatis :
Insidiatorem captatoremque loquentur,
Atque eleemosynas avertere pauperis,atque
Amplas sectari prædas, contemnere parvas.
Mallem equidem tibi grata foret mercedula parva
Quam congesta simul Claromontana talenta,
Judicio quæ ferre rapax conaris iniquo,
Debita pauperibus, non nexæ ad guttura vesti [1].

Istud enim actionis punctum, ut in adversarios majorem invidiam conflaret, sibi tollendum Turnebus habuit, meliora quidem argumenta Pascasio relicturus. Namque hic oratione amplissima probavit quantum inter « Universitatis Parisiensis » collegium antiquum novamque Jesuitarum sectam distaret, qui nemini nisi Romano pontifici obedirent, quos prorsus nulli certo ordini, sive theologorum sive docentium, adscriberes, cum semetipsos « tales quales » esse profiterentur [2].

At non injuria Turnebus addidit duas apud istos veluti classes, numero quidem inæquales exstare :

enseignant gratis » (v. Brunet, *Manuel du libraire*) quos mihi legere non licuit. At ejusdem latini carminis aliam interpretationem legi : « Elegie || au Jesuite qui || list gratis en l'Université à Paris || Prise du latin qui commance || Te gratis narras Soterice, velle docere, etc. || 1564. » [*Bibl. Nat. Inv. réserve*, m. Y c. 867.] — Quæ gallica centum sex et viginti versibus interpretatio latino carmini longe inferior cessit.

Istius generis satiras, Ad.. Turnebi exemplum assequentes alii condiderunt. V. « Complaincte de l'Université de Paris », 1664 ; et : « Complaincte des Escoliers », 1565. (Cf. Brunet, *Manuel* ; *Bibl. Nat.*, Y, 4614.) — « De eorum qui se Jesuitas vel tales quales haberi voluerunt origine, gestis et moribus præneticum authore Fr. L. P. — 1565, in-4° » id est gallice « François Le Picard (de Caux) » (Bibl. Nat., Y, 2533). Quod carmen in quodam ex Bibliotheca Sorbonensi volumine, Adr. Turnebi « tumulum » continente, etiam legi... (Vide librorum indicem.)

1. Soterici vestem intellige ; quæ fibula nectebatur. *Poemata*, p. 72. Alios autem versiculos procaciores eidem carmini subjecit, qua de « soterici » vestem innectente fibula allusit ; (*ibid.*, p. 74) ibi enim Schola parisiensis Senatum deprecatur ne ipsam sine prole mori sinat ; cum sibi fibulam suppositam sentiat, puerperio posthac obstituram. — Istius vero generis fibula « casta » utebantur comœdi et tragœdi ut, Venere remota, vocem conservarent. (V. Juvenalis satiram VI, versum 73 et 378.)

2. V. Pasquier, *Recherches de la France*, livre III, chap. 43, p. 322-325. — Cum enim interrogarentur utrum inter monachos an presbyteros essent annumerandi (quod scriptores ecclesiastici dicebant « regulares an sæculares »), responderunt se *tales* esse *quales* Curia declaravisset, id est in societatem Jesu cooptatos.

Quid quod cum soleas quartus quintusque docere,
Fucorum ignavas pecudes præsepe saginat
Mille, quibus nec discendi nec cura docendi [1] ?

Id præterea indigne ferendum contendit quod « Sotericus » litterarum professionem affectare audeat in urbe

Discipulos quæ vix tot habet, quot docta magistros.

Scilicet Athenas noctua mittenda est ? — Cum vero gratuitis prælectionibus pauperrimum quemlibet ad se sotericus allexerit, ignavorum turba, tanquam locustis irruentibus, urbium opes exhaurientur. Itaque discipulos cum magistris alendos civitas habebit :

Quæsticulum justum qui negligit, imputat idque
Civibus et regno, et prorsus se pernegat esse
Cuiquam oneri, nec habet fundatas censibus ullis
Queis sese tueatur opes, censore Catone
Exuviis hominum et præda pascatur oportet [2].

Hæc non imprudentia verba, quanquam ab homine pro suis ipsius aris propugnante dicta, Senatui Parisiensi exaudienda fuerunt ; at ipsius Stephani Pascasii vox irrita personuit ; cumque regis advocatus [3] « gravissima oratione » Versorium contradicentem oppugnavisset, Christophorus Thuanus « statim dimisit senatum », nedum sententias rogaret, « causam non palam sed clam [rursus] disceptatum iri » profitens. « Sic res ea tota et adeo nostra elusa est. » Quod cum Henrico Memmio « supplicum libellorum in regia magistro » Turnebus scriberet, eumdem obsecrabat « ne causam illius scholæ cujus florentissimus esset alumnus, ne causam patriæ desereret [4]. » Nihil vero Memmius auxilio fuit, cum Senatus litem decidendam ita sollerter distulerit, ut « uno ictu litigator uterque quasi

1. *Poemata*, p. 72.
2. *Ibid.*, p. 73.
3. Cui Gallice nomen fuit « Du Mesnil » ; cujus in Jesuitarum abstinentiam caritatemque verba quædam ironice dicta *Donarche* non intellexit. (opere rel., p. 89.)
4. Vide epistolam quam in appendicem retuli, XIV kal. Maias, id est pro nostra ratione 17 die mensis aprilis, anno 1565 missam. — Judicium autem Senatus Parisiensis quinto die mensis ejusdem tulerat.

confossus esset[1] » ; tametsi Jesuitas qui « tales essent quales antea » multo minus quam Universitatem judicium afflixit.

III

Qua ratione ad Hospitalem versus, anno 1560, et ad Carolum IX epistolam a. 1564 mittens, Romanam ecclesiam Calvinistasque inter se pugnantes Turnebus æque improbaverit. — Num carmen « Poltrotus Meræus inscriptum », Turnebo imputandum sit. — De Adriani Turnebi obitu (1565).

Cum triplicem christianæ religionis formam in Gallia illo tempore exstitisse Stephanus Pascasius dixerit, unam « catholicam » et, ut ita dicam, gentilem, aliam a Jesuitis excultam ecclesiæque Romanæ potius quam Gallicæ servientem, tertiam vero Genava oriundam[2], quas partes in tanta animorum perturbatione Adrianus Turnebus secutus sit, nobis quærendum est, nisi nullius ecclesiæ legibus addictus esse videatur.

Verumtamen Dei supremum numen coluit ac veneratus est; Christum sibi magistrum duxit, christianamque doctrinam antiquis et sacratis libris traditam amplexus est ; testes sint primum epistolæ et præfationes quas supra retuli, quibus Græcorum philosophiam quamvis laudatam divinis « Apostolorum » effatis posthabendam asseveravit[3]. Quid quod « de oraculorum defectu » disserens hæc addidit : « Nobisque gratulemur qui divinitus edocti, multo plus hic videmus quam doctissimus Plutarchus qui vix exilem lucem dispicit[4] ? »

At idem cum ex antiquis purisque fontibus sinceram doctrinam exhauriret, sui temporis ecclesiæ disciplinam in pejus adductam moresque sæpius depravatos vehementer questus est. « Quis enim non videt sanctissimam doctrinam de suggesto declamari solitam,

1. Quod ita gallice Pascasius dixit : « ce fut un coup fourré ». (Pasquier, *Lettres*, t. I, p. 259.)
2. V. Pasquier, *Lettres*, t. II, p. 571.
3. Vide supra, p. 23, n. 7. (In Phædonem Platonis præfatio.)
4. *Opera*, II, 77. Vide supra, p. 30-31 ; et de miraculis adhibenda fide p. 33.

tamen hodie in animis nonnullorum frigere, quod ejus oratores ad officium non satis, ad eloquendum nimium instructi esse videantur ? » Ætas igitur « nostra sacra et profana miscet, cum ad verba aures obsurdescant, oculi exempla desiderent... ; idque se jure facere credunt, quod iis vitiis implicatos vident qui iis primi carere debuerunt[1]. »

Non ideo tamen Gallicæ ecclesiæ statum funditus evertendum Turnebus censuit ; quam vero disciplinæ dogmatumque reformationem Lutherus in Germania, Calvinus apud Helvetios Gallosque aggressus erat, acriter improbavit. Suam primum sententiam Hospitali carmine gravissimo satis aperte declaravisse mihi videtur[2] :

Hospitalis amor Musarum deliciæque,
Carmina Cirrhææ non inficianda catervæ
Qui fundis Phœbeus olor...

Versibus canoris poetam salutandum curans, ut a viro publico benignius exaudiretur, neque Margaritæ neque Caroli Lotharingi oblitus est, ut suæ scholæ triplex patrocinium conciliaret[3] :

Accipe quæ falsis injusta calumnia verbis
Objicitur nobis et promitur ore profano :
Et Musas defende reas, sontemque Minervam[4]...

Poetarum enim antiquorum et philosophorum, omnis denique humanitatis et scientiæ res agitur :

Multi in nos Anyti passim Melitique renati,
Socratico qui nos evertere crimine tentant,
Esse juventutis nos sæva venena loquuntur,

1. *Opera*, II, p. 105. « Philonis Judæi de Vita Mosis lib. III. (Odoni Castilionæo Adr. Turnebus) ; cf. supra p. 32.
2. Anno 1559 exeunte (aut ineunte 1560) prius quam Hospitalis Olivario successit. Vide supra p. 90, n. 2. Equidem admiror de Turnebi religione disserentem Ch. Waddington tanto momento carmen silentio præteriisse : quod et Seelen et Legay omnino fugit (cui tamen Turnebum inter fidelissimos « catholicos » adscribenti rationis cujusdam speciem iidem versus attulissent). Horum dissertationes in nostro librorum indice vide.
3. Cf. supra, p. 46 et 91 ; quæ modo duci Sabaudæo nupserat, Margaritam in eo esse ut « procul hinc maritum sequatur » eadem epistola refert. (*Poemata*, p. 54.)
4. *Poemata*, p. 50.

Atque novos inferre Deos, nova numina, ritus
Insolitos, quicquid Germania denique peccat [1]...

Liberales vero disciplinas ab invidorum calumniis ita defendet ut eas neque morum neque patriæ (et « catholicæ ») religionis corruptrices ostendat. Equidem scio nonnullos in Regio Collegio fuisse qui novam religionem amplexi essent vel eidem scriptis suis faverent [2]. Cum autem Turnebus se suosque collegas istius erroris participes fieri negaret, suam ipsius fidem sincera mente testabatur; ceteros secum omnes consentire fingebat, scilicet ut temporibus inserviens Jesuitarum sectæ facilius obstaret.

Sed enim specioso argumento utitur : tantum valere bonas litteras ut a malis artibus teneras adolescentium mentes prohibeant :

Prisca igitur pubem qui non vult scripta doceri,
Ad nova mittit eam, et gentis commercia Græcæ
Qui vetat, a vitreo non improbat ille Lemano.
Gallica scripta etenim de religione revolvet
Marte suo solus nullo præeunte magistro,
Qui doctoris eget sudatque ut Achaica discat [3].

Calvinum igitur cum Luthero Turnebus increpat queriturque quod discentium turba, Latinis Græcisque relictis, « Biblia sacra » aut « Institutionem Christianæ religionis » gallice versa [4] avidissime lectitat :

Gymnasia et quod nunc minus esse frequentia vulgo
Cernimus, efficiunt de religione libelli
Vernæ atque indigenæ : viget hæc doctrina viritim,
In studiisque hominum versatur deliciisque [5].

1. *Poemata*, p. 50.
2. Inter quos numerati sunt Joannes Mercerius, qui hebræam linguam docebat, et ille Petrus Ramus qui Sancti Barthelemæi die funesta occisus est. — Quid quod Odo Castilionæus ipse « Universitatis privilegiorum conservator » et cardinalis ad Calvinistas palam transfugit ?
3. *Poemata*, p. 51.
4. Primum anno 1541, deinde 1560 « Institutio Christianæ religionis » gallice edita est.
5. *Poemata*, p. 51.

Nempe, si Turnebo credis, falsa adulteraque doctrina ingenuas litteras refugit, ut indicem lapidem aurum subæratum [1] ; cujus generis argumentum ab aliis in se eo facilius retorquendum animadvertere debuit quod, ut theologorum disceptationes omittam, trium linguarum peritissimi, Faber Stapulensis, Vatablus Robertusque Stephanus « Biblia sacra » interpretati sunt ; Calvinus autem humanitatis studia in Genavensi Academia florere passus est.

Verum Hospitali nihil odiosius visum fuisse puto, quam infanda supplicia quibus Calvinistæ afficerentur, in religionis et bonarum artium laudem commemorari :

Nunc remove Graiam pueris Latiamque Camœnam,
Supplicium cunctis laqueumque atrasque favillas
Mandabis, quoniam succo tingentur eodem [2].

Quidni tam malos versus Turnebus delevit, nedum insectatorum partibus favere videretur ?

Sed epistolæ pars altera quæ subjecta est, Adriano Turnebo non indigna fuit ; ibi vero, prioribus verbis contradicens, « Reformationis » ipsius causam, quanquam invitus vel inscius, summo cum eloquio pæne sustinuit.

Namque Juliani imperatoris nequitiam memorat, qui ad christianam fidem abolendam, quidquid græca lingua scriptum fuisset, prohiberi juberet ; nunc jam Græcæ Latinæque Ecclesiæ lumina, Gregorium, Basilium, Chrysostomum, Hieronymum qui sacram doctrinam illustraverint, a recentioribus Julianis [3], litteras perosis, æque omnes condemnari. Verum Adriano Turnebo nihil fuit antiquius quam « Euangelii archetypa exemplaria » :

proprio cui displicet ore
Et sermone suo dum fatur Apostolus, ipsum
Ejicit, et Christi legatum audire recusat,
Non nisi qui Græca ad Romanos voce profatur [4].

1. *Poemata*, p. 52.
2. *Ibid.*, *ibid.*
3. Id est qui Regio Collegio invidebant, ut theologi quidam et Jesuitæ ; qui quidem litteras non omnino respuebant, cum earum professionem affectarent ! (Vide supra, p. 92, n. 6.
4. *Poemata*, p. 54.

Num alia sentiebant, aliis verbis utebantur viri doctissimi qui in ipso Regio Collegio apud regem Franciscum I hebræum græcumque sermonem contra Bedam calumniantem omni malæ hæreseos crimine purgaverunt[1]? Theodorus autem Beza cumque Roberto patre Henricus Stephanus Adriano Turnebo annuissent :

> Consule Musarum sic tu rationibus idem,
> Ut non sit Paulo dediscere Græca necesse :
> Neu reus in causa damnetur Apostolus ista[2].

Qui vero in eodem carmine plura quam decuit, temporibus concesserat, posteaquam bellis pro religionibus susceptis Galliam laceratam vidit[3], Carolum IX regem precatus est ut tandem istius generis criminibus insectandis cessaretur, et sentiendi libertas cum salute omnibus æque concederetur. Sapientis quidem strenuique viri fuit hæc epistola, Sancti Cypriani scriptis editis præposita, quam Hospitalis certe benignius quam Lotharingus Cardinalis excepit[4].

Ut a Visiorum Jesuitarumque sæva tyrannide Turnebus abhorreat, non ideo Hugonotorum violentis conatibus favet : « Duæ partes et factiones in mutuam conjuratæ perniciem, dum adversariis nocendi tempus circumspiciunt, patriam ac publicam causam deserunt atque produnt[5]. » Quod si « novæ religioni » assensus esset, ea profecto non addidit : « Ac mihi quidem utrique in vitio videntur esse, cum alteri, ut vere nec dissimulanter loquar, sint arrogantissimi, alteri impudentissimi. Nam arrogantiæ est intolerandæ eos

1. De Budæo contra Bedam dicente, vide apud Henricum Stephanum : « *Apologie pour Hérodote*, I, 9 et II, 149. » — Cf. meum opus : « *Henri Estienne* », p. 6. — « Noël Béda » Collegii Montacuti rector fuit, theologorumque « Facultatis » Parisiensis doctor..— Cf. Goujet, *Collège Royal*, I, p. 84 et sq.
2. *Poemata*, p. 54.
3. Vide supra, p. 86.
4. *Opera*, III, p. 53, anno 1564. Hæc ad Carolum regem Adr. Turnebi epistola hoc ipso anno Gallice versa est : « Brief Discours de l'occasion des troubles et dissentions du jourd'huy au fait de la religion, et moyen d'y obvier. — Traduit du latin d'un excellent homme de ce temps, adressé au Roy. » [S. l.; 1564, in-8°. — *Bibl. Nat.*, Lb 33. 146.] Stephanum autem Pascasium interpretem fuisse suspicor, cujus stylum ingeniumque oratio tota prodit.
5. *Opera*, III, p. 54.

qui tam multa, ne quid gravius dicam, peccent, in auctoritate speciosi vocabuli delitescere, se Dei similes facere, seque peccare non posse prædicare[1]. Impudentiæ est inverecundæ, eum a quo dissideas, quemque oderis, ita flagitiose de religione omnia sentire clamitare, ut Titanem aliquem aut terrigenam cœlestibus infestum cunctæque pietatis eversorem pronunciare ausis[2]. » Quod utrosque nimium probavisse Turnebus addit : « cum nobis maxima quidem antea spes esset collocata in publicis orbis Christiani conventibus discordiarum sedandarum; sed ea nos destituit... Animadvertimus enim eos a quibus habiti sunt, nimium amare se, nimiumque sibi indulgere, suamque causam et utilitatem pluris quam publicam omnium tranquillitatem ac salutem ducere[3]. »

« In tanta controversiæ disceptatione et animorum ita alienatorum reconciliatione », unam viam omnibus proponendam Turnebus ducit, ad veteris Ecclesiæ præcepta et disciplinam quemque regredi. Scit enim « ritus Ecclesiæ sæpe mutatos fuisse » ; multa « sordibus et quæstu » depravata corruptaque : « Privata sacra tollenda eorum hominum qui ab episcopis et curionibus secesserunt precibusque promercalibus populum spoliant... Epicurus ex Ecclesiæ sociis expellendus qui otium pingue sine negotio amplectitur, neque docere vult, sed honoratus esse et saliarem in modum epulari. » At cum monachis[4] et « Sotericis » Calvinistas censura duplici notat : « Partibus autem istis de religione tam acerbe dissidentibus, si quam pietatis rationem habent, non odii aut quæstus sui, judices

1. Jesuitarum arrogantia illic descripta est.
2. Hæc in Calvinistas. — (*Opera*, *ibid.*)
3. *Opera*, III, *ibid.* — Hoc in loco cum Tridentinum concilium (anno 1563 conclusum), tum Possiaci Colloquium anno 1561 habitum Turnebus significavisse mihi videtur ; huc enim Calvinistæ qui illinc ejecti erant, convenerunt, ut ex utriusque religionis parte pariter disputaretur ; quanquam de Tridentino tantum Gallicus interpres mentionem fecit.
4. « Monachorum » genus omne Turnebus petiit in fragmento quod « Μονήρης βίος » inscripsit (*Poemata*, p. 112.)

> Est genus in terris, hominum mortalia supra
> Pectora, quod spiratque viamque affectat Olympo :
> Solivagûm primo tenuit spelæa ferarum...

Quos postea, Thebaide relicta, pauperiei pertæsos, per urbes irrepere ostendit.

feram quos ut iniquos ejurare non possint, Christum et Apostolos doctoresque et testes eorum temporibus propinquos [1]. »

Quibus tamen verbis non infitiandum est Turnebum in ipsius Calvini sententiam descendisse videri ; neque multum ab illo in moribus castigandis abfuit. Verum Calvinistis crimini dedit quod se ipsos dogmatis totiusque disciplinæ « judices » ferrent, quod « majorum » Ecclesiæ commutationem multo magis quam reformationem aggressi essent. Nec sane Romani pontificis auctoritati tantum tribuebat quantum Jesuitæ ; nec aulam æquo animo patiebatur :

Quæ moriones, ludios, scurras, planos,
Quæ balliones, Phormiones quæ fovet [2]...

Sed cum Gallicam ecclesiam pluris faceret, dolebat quod in duas tresve partes universa Christianorum societas distracta esset.

Hanc Adriano Turnebo mentem fuisse, hunc animum nihil tibi mirum videbitur, si modo sæculi veram speciem, ut ita dicam, cognoveris. Etenim nonnulli apud nos illo tempore fuerunt, inter doctiores præsertim viros et humanitatis fautores, qui in Ecclesia multa sive obsoleta sive depravata deprehendentes optarent ut christiana fides vires novas resumeret ; non tamen « novam religionem » instaurandam cogitarent. Ut ad Francisci I ætatem redeam, haud equidem Margaritam Navarræ reginam exempli gratia proferam ; hanc enim novimus Lutheri Calvinique scriptis imbutam esse

1. *Opera*, III, p. 54.

2. His in iambis quos in *Poematum* editione, ad pag. 117 legimus, romanorum episcoporum aula communiter designata est : hoc enim versu incipiunt : « *Tres infulati vos valete Episcopi* » ; ultimusque versus est : « *Quare mithrati tres valete Episcopi* » ; *tres* autem pro *ter* a Turnebo positum puto, cum nihil valuerit « *Episcopus mithratus* vel *infulatus* » ; neque de tribus pontificibus ex ordine loqui voluit ; sed tantum duo sunt quos eodem loco, ni fallor sigillatim petiit : Paulus IV intelligendus est qui « *arces et urbes hostibus prodidit* » (dum Gallos Visiumque ducem ad se accitos deludit ; vide supra p. 38). — Alter, qui « *Musas mendicas facit* » Pius IV fuit, dum Universitatis privilegia Jesuit's jam a Concilio Tridentino receptis deferri jubet.

Quibus cum versiculis alii conferendi sunt, ubi Pio IV Turnebus succensuit quod monachorum vel sacerdotum « ordinibus » Jesuitas conjunxisset. (Vide supra p. 96, n. 1 et *Poemata*, p. 74.) — Hoc autem carmen et illud anno 1564 scriptum fuisse mihi liquet. — Denique duobus distichis Julium III significatum esse credo, qui velut alter Julius II ex inferis resurgens ostenditur. (*Poemata*, p. 117.)

(quanquam Calvini severitatem rejecit) [1]. At Budæus ille testis mihi sit et auctor, qui cum in Sorbonam Regium Collegium strenue defenderet, Ecclesiæque vitia acriter corriperet, omnia sub religionis specie misceri turbarique, ut postea Turnebus, indignatus est [2].

Quæ cum res ita fuerint, Adriano Turnebo carmen quoddam « Poltrotus Meræus » inscriptum, quo Francisci Visii cædes [3] nefaria laudata est, minime imputandum duco. Quamvis enim Visios civilium bellorum magnam fuisse partem intellexisset, Hugonotos, ut modo diximus, etiam reos Turnebus faciebat. Istud vero facinus vir bonus modestusque nimirum detestatus est, qui, anno sequente, bellum ita funestissimum « ut neutra acies e prælio læta discesserit » Carolo regi demonstravit : « Cum omnes qui utrinque caderent, maximo incommodo tuo perirent et velut præsidia et propugnacula regni tui conciderent [4]. » Aurelianum a Meræo liberatum, Visiumque Franciscum « hostem » profecto non dixit :

Res ubi non odiis, sed se spectabitur ipsa,
Conspicuus fulvo stabit Meræus in auro,
Atque idem ornabit salvam qui præstitit urbem
Sublatoque moram pacis qui sustulit hoste.

1. Vide « *Les dernières poésies de Marguerite de Navarre* », quæ carmina ab Abel Le Franc edita sunt (introd. passim) ; cf. ejusdem : « *Les idées religieuses de Marg. de Nav. d'après son œuvre poétique.* »

2. V. « *De transitu Hellenismi ad Christianismum libri tres*, Francisco I dicati, Lutetiæ 1534. » — In hoc opere Christianam religionem cum græca philosophia conciliandam Budæus sibi proposuit ; qui vero Lutheranorum in theologia audaciam improbabat, nihilominus Fabri Stapulensis de sacris « Scripturis » commentationes mirabatur. Idem « ecclesiam romanam culpa gubernatorum, tranquillititate et securitate dissolutorum naufragium fecisse videri » confitebatur ; quæ verba ex ejusdem *Adversariis* (sive commentariis manu scriptis) *Eugène de Budé* retulit. [V. *Séances et travaux de l'Acad. des Sciences morales et politiques*, 1894, p. 375 et sq. : cf. *Revue Bleue*, 20 juin 1896.] — Cf. « *Vie de Guillaume Budé*, par Eug. de Budé, Paris, 1884. »

3. Franciscum Visium Poltrotus Meræus sub Aureliani mœnibus mense februario anno 1563, dolose trucidavit ; carmen autem « Turnebo mortuo [?] Basileæ primum excusum » prælo rursus subjecit Henricus Stephanus, hunc titulum inscribens : « *Poltrotus Meræus* || *Adr. Turnebi* || *1567.* || *Excudebat Henricus Stephanus*, || *Genevæ.* || » Prima pagina versa hæc leguntur : « Lectori S.-Adrianus Turnebus literarum laude excellens paucis ante mensibus quam decederet hoc carmen a se conscriptum dederat amico cuidam, fide accepta ne se vivo in manus hominum pervenire sineret... » [*Bibl. Nat.* Invent. réserve, YC, 1, 472.] — Quem titulum haud exacte descripsit A. Renouard (*Annales des Estienne*, 2e édit., p. 130, n° 6.)

4. Ad Carolum IX epistola. — *Opera*, III, p. 54.

Neque adeo illa carmina quibus Francisci ducis egregie facta, Mettas defensas Caletumque captum cecinerat, Turnebus oblitus est [1]. Quid quod verborum ampullas et fanaticum errorem valde respuisset?

Hæc tibi grata, memor, magnis servata periclis,
O juvenum quondam fortissime, libera per te,
Pacis et assertæ pietatis munere florens
Gallia, quæ poterat merita pro laude canebat.
Salve anima illustris, novus alti splendor Olympi,
Astrorum in numerum, fuerat genus unde, reversa [2].

Equidem Henrico Stephano minime credendum puto, qui Adriani Turnebi nomine malis versibus inscripto, legentium vulgus decepit aut ipse deceptus est; quos versus Theodori Bezæ (licet illius memoriæ non invideam) stylo exaratos suspicarer [3], nisi Petrum Montaureum istum fuisse scriptorem quidam affirmavissent [4]; hunc enim Aurelianensem poetamque latinum exstitisse constat; quæ vero carmina ejusdem legi, ab omni odio aliena mihi visa sunt [5].

Adde quod Turnebum mortuum Calvinistæ pertinaciter sibi vindicaverunt. Vix enim « diem suum obiit sub horam septimam matutinam pridie Idus Junias anno Domini 1565 », « posita sunt compitatim, per dies complures ab ejus morte, sexcenta carmina et epitaphia, variis linguis » quæ, cum « tanti viri memoriam posteritati commendarent » eumdem « veram religionem », id est Calvinistarum supremis verbis professum esse testabantur [6]. Idem a quodam

1. Vide supra, p. 37 et sq.
2. *Poltrotus...* (1567).
3. Bezæ potius quam Henrici Stephani; cujus nomen injuria forsan produxerim in meum librum : « *Henri Estienne...* », p. 37, n. 3.
4. V. « *Deliciæ C. Poetarum Gallorum...* » (1609), t. IV; ubi carmen cum P. Montaurei nomine inscriptum est. Quod videlicet ignoravit Renouard dum alio testimonio, minime probato, utitur « Catalogue de la Bibliothèque de A. de Thou », t. II, p. 292-293. Cf. Haag (*France protestante*, verbis : *A. Turnèbe et Montdoré*). — Sin autem Petrus Montaureus carmen istud scripsit, fieri potuit ut Adr. Turnebo, familiari suo, idem miserit.
5. Cf. *Bibl. Nat.* manuscr. lat. 8139, passim; quo in volumine multos ad Henricum Memmium missos Montaurei versus leges.
6. *Opera*, III, p. 90-91.

« Philareto » « ad Calanum » scribente iterum asseveratum est [1]. Rursus vero Turnebum morientem nihil tale dixisse, nihil egisse quo « catholicam ecclesiam » improbaret et respueret, alii contenderunt, inter quos Leodegarius a Quercu, qui amici dilectissimi laudes oratio ιε publica fecit [2].

Cum igitur hæc ultima de Turnebi obitu quæstio mihi disquirenda sit, ingenue quidem, « sine ira et studio », quid judicaverim, exponam. Primum ab utrisque satis comprobatum est Adrianum Turnebum ab uxore et filiis efflagitavisse ut sibi « neque sumptu neque funebri pompa parentarent »; quin etiam Ecclesiæ « catholicæ et romanæ » sacerdotibus aditum ad se jam moriturum patere noluit; denique ejusdem ecclesiæ cantus sacros et preces, cum corpus efferretur, se recusare dixit; quæ quidem mandata Leodegarius ipse, licet excusaverit, confessus est [3]. Itaque « corpus ejus quo die mortuus est, paucis amicis deducentibus, nullaque funebri pompa humo est mandatum, hora nona vespera, in Scholastico-

1. « *Epistola quæ vere exponit obitum Adriani Turnebi...* » *Opera*, III, p. 90. (Cf. librorum indicem); quem *Philaretum* Joannem Mercerum fuisse credunt Waddington et Haag (*Fr. Protest.*); quis autem fuerit Calanus, tacent. Sed mihi multo magis comprobatum est *Philaretum* fuisse Franciscum Thorium (Gallice : François Thory) : *Calanumque* (cujus Indici philosophi apud Tullium Ciceronem, in Tusculanis, II. 52, nomen fuit) Hubertum Languetum. Namque idem ad eumdem amplissimum carmen misit quod nihil aliud quam Philareti epistolam versibus translatam, sonat; hic enim et illic (ut cetera indicia omittam) Turnebus Symbolum Apostolicum sibi recitari jubet, Calvinistarumque fidem « publice » confitetur. — Adde quod utraque narratio in uno libello, Fr. Thorio curante, anno 1565 edita est. (Cf. *Opera*, III, p. 95 et sq.)
2. « Catholicum, etsi hæretici contrarium spargere conati sunt » Turnebum obiisse Gilbertus Genebrardus affirmavit. [Ex ejusdem « chronologia »; v. *Opera*, in limine, p. 5.] — Idem Franciscus Picardus Caletensis Gallicis versibus, pessime quidem scriptis probare conatus est : « *Complainte sur ceux qui se sont efforcez de violer la bonne renommee d'Adrian Turnebe, à Mgr. Viole, evesque de Paris* » [quod cum Turnebi tumulo carmen Bibliothecæ Sorbonicæ volumen habet. Vide libror. indicem]. Hos autem versus mihi primum obstupescenti libellus a Fr. Thorio publicatus in ultima pagina versa obtulit :

Turnebus a vescu en reputation
D'un fort homme de bien en sa profession :
Et est mort en la foy chrestienne et catholique
Et non pas obstiné, comme fait l'heretique...

Aliis vero litterarum typis duplex hæc pagina ita excusa mihi visa est, ut falsa specie censorum oculos deciperet, simulque facilius volumine avelleretur; (cf. libr. indicem) quanquam et Calvinistas interdum sese « catholicos » vocare novimus.
3. *Opera*, III, p. 102 : « At salutiferum Eucharistiæ sacramentum non accepit. Qui potuisset, continuo vomitu præpeditus? » — Cf. Philareti epistolam *ibid.*, p. 90-91.

rum cœmeterio, ubi sepulturæ locum delegerat, quo etiam loco præstanti doctrina medicus Jacobus Sylvius paucis ante annis sepeliri voluerat [1]. »

Quod vero Romanos ritus procul a se abjecit, non admirandum est, cum Romanæ ecclesiæ fastum et superbiam verbis acerrimis Turnebus palam castigavisset; at, si ab eadem discessit, num in alterius ecclesiæ societatem se ipse receperit, valde dubito. — At enim quidam dixit incautus Calvinistarum « ministros » obstitisse quominus Turnebum ægrotantem « catholici » sacerdotes adirent [2]. — Quid quod Philaretus ipse qui tanti momenti argumentum non omisisset, nihil tale retulit? Cui tamen si credimus, « ab his qui tum aderant et amicis et familiaribus rogatus placeretne uti ejus fidei quam ipse profiteretur, publice confessio ederetur... Symbolumque Apostolicum recitaretur... id sibi valde placere gratissimumque fore ostendit. Recitatum itaque est, ac pro ejus salute vernacula lingua Deo supplicatum [3]. » Sed hæc Philaretus (vero nomine Franciscus Thorius) non ipse suis oculis vidit; quos autem testes habuerit, omnino tacuit. Res igitur ab eodem amplificatas et quodam colore fucatas esse suspicor [4].

Quod si ad Leodegarii funebrem orationem, quin etiam ad eos

1. *Opera*, III, p. 91.

2. « Ad testamentum suppositum et morientis Turnebi prosopopœiam Responsio per Gabrielem Goviard Suessionensem »; quem libellum versibus conditum Seelen in sua « disquisitione » perscripsit. Sed ut « Catholicos », ita Calvinistas Turnebi morientis sincera mens certaque animi ratio omnino fugit. — « Testamentum » autem Adriani Turnebi suprema verba referens Lutetiæ typis mandatum fuisse anno 1565 Seelen asseveravit; ejus libelli exemplar « inter κειμήλια Bibliothecæ Kielmannseggianæ » exstare, cujus descriptionem manu factam recepisset. At si rem momento perspexeris, intelliges hunc libellum *Gabrielis Goviardi Responsionem* esse, in quam supposititium testamentum insertum est. Neque hercule! Seelen intellexit idem fuisse atque Francisci Thorii libellus.

3. *Opera*, III, p. 90-91; cf. Fr. Thorii carmen, *ibid.*, p. 96.

4. Qui Franciscus Thorius cum solus inter æquales suos rem ita descripsisset, tamen ceteris qui postea venerunt, auctor probatissimus habitus est: jam Claudius Grangæus quæ ab illo accepit, exornat et explicat, nominaque propria reperit: « ...Cum se mortifero morbo [Turnebus] urgeri sentiret, monitu et hortatu Jo. Saliniaci, Paris. Theologi qui palam a Pontificis ad Evangelicos transierat, eam se probare professus est fidei confessionem, quam Evangelici sex ante annis publicassent. » [*Hist. Belli civil.* p. 14, apud Colomesium in *Gallia Orientali*, p. 34, quem ipse locum Seelen retulit.] Ita de A. Turnebi religione fabula usque ad Seelen et Ch. Waddington tantum exaggerata evasit!

versus quos ipsi Calvinistæ condiderunt, revertamur, non eadem admodum verba legimus; Turnebum modo audimus « in Christiana fide se moriturum » testantem, vitæque æternæ spem mente sua præsumentem [1]. Cum vero de animi immortalitate loqueretur, « nihil præclarius, nihil sanctius habuit illa Platonis pro Socrate apologia »; sed « Christani e vita excedentis fuerunt suprema verba: Hanc animam nobis qui dedit, accipiat. » — Prius autem quam exspiravit, uxorem deflentem animi sui tranquillitate solatus, liberos « ad decus, ad litteras, ad virtutem adhortatus est [2]. »

Quare simplici vultu gestuque ante mortem Turnebus se gerens, longe abfuit ut veluti in theatro quodam publicam « confessionem » ediderit, cujus testes desiderare mihi liceat; quanquam Leodegarium operam perdidisse fateor ut amicum defunctum cum quibusdam sacerdotibus reconciliaret [3].

Quid plura, cum omnis ista de cadavere disputatio ab ipso Thuano jamdudum decisa sit? « Ut erant tunc scissa ob religionis novos motus studia, mortuum [Turnebum] quisque vindicabat, dum simul et antiquæ fautores religionis et novam profitentes, ad utras partes moriens ille inclinavisse diceretur, multum momenti partibus suis allaturum fuisse credunt [4]. »

1. « Jam Christo vivit, et haud moritur » dixit Joannes Mercerus; *Opera*, III, p. 91. — « Christo animam moriens Christumque fidemque professus Reddidit, a solo pendulus ipse Deo. » (Nicolaus Harlæus). Eadem denique Lambinus in elegia sua testatus est; qui, cum inter « catholicos » Turnebum non inscripserit, tamen a Thorii Bellionis asseverationibus longe distat; is autem Leodegario exprobrare non debuit quod « amico mortuo fidem fefellerit. » (*Opera*, III, 97, ad Leod.)

2. *Opera*, III, p. 102. (Leod. a Quercu oratio « habita Lutetiæ in Regio Auditorio anno 1565, mense Decembri. »)

3. Ast ego Tussano Bercheto Lingonensi facile credo qui de sacerdote conquerente scripsit:

Scilicet is mæret, quod nulla pecunia detur,
Funere Turnebum nec caruisse dolet.

4. V. Thuanum: « *Historiarum...* » (Londini, 1733), t. II, p. 469.

QUINTUM CAPUT

De Adriani Turnebi funere ab amicis concelebrato.
De viro et scriptore conclusio.

Quantis Adrianum Turnebum, ubi vita decessit, laudationibus ac desideriis amici prosecuti sint, tumulus, ut aiebant, quem illi suis versibus exstruxerunt, insigniter testatus est. Hæc autem carmina cum Turnebi carminibus in Argentoracensi editione jure conjuncta sunt [1]; nec disjungenda mihi fuerunt, nihil prorsus in manibus habenti quo jucundius hoc opusculum concluderem. Quid quod Petri Ronsardi funus non multo majorem concentum ab æqualibus excitavit [2]? Turnebum Ronsardus ipse, Dionysius Lambinus, Joannes Passeratius, Henricus Stephanus poetice defleverunt; quos quidem ingenio præstantes alii haud æqua dicendi facultate invicem secuti sunt.

Neque contendam tot variorum scriptorum versus in unum argumentum acervatos tanti constare ut cujusque carminis vis, species colorque describenda sint; mihi vero plus fastidii multa attulerunt quam ut eisdem legentem rursus onerare vellem. Itaque satis erit si primo poetarum nomina, cum præclarissima, tum minus nobilia vel plane ignota commemoravero (ista enim illius sæculi memoriæ reddenda sunt). Deinde quid de Adriano Turnebo æquales sui judicaverint, breviter ostendam.

Etsi ad hunc tumulum exornandum nonnulli vernaculo sermone

1. *Opera*, III, p. 104 et sq. Quem « tumulum excitatum » apud Fed. Morellum ediderunt Jo. Auratus, Dion. Lambinus aliique; nonnulla vero carmina in Adr. Turnebi memoriam apud Thomam Richardum vulgata sunt, quæ in quodam Bibliothecæ Sorbonicæ volumine collecta reperi. [Vide nostrum librorum indicem.] His etiam et illis versibus eos addidi qui in Fr. Thorii libello ad grammaticum et scriptorem spectabant, cum de Turnebi « religione et obitu » satis supra dictum esset.
2. V. « *Œuvres de Ronsard* », édit. Blanchemain, t. VIII, p. 235 et sq.

usi sunt, plurimi latine et interdum græce scripserunt; doctissimum enim virum artibus inter doctos celebratis collaudari decebat. Cum vero Petri Ronsardi gallicos versus supra retulerim [1], eos qui Pleiadis summo duci sectatores propius accesserunt, tantum huc proferam, quibuscum et quosdam, nulli quidem scholæ addictos, conjungere mihi licebit; mox « Universitatis » magistros et discipulos testes cursim evocabo, ut illis qui in litteris humanioribus edocendis maxime fuerint conspicui, paulo diutius audientia tribuatur.

Joannes Auratus qui et in Pleiade et in Regio Collegio locum meritis quidem suis majorem obtinuit, « εἰς τοὺς Τουρνήβου νεκρομάστιγας » græce et latine carmen longius fecit. Sed ne in eadem rursus incidamus, poeticam similitudinem qua recentioris Orphei membra dilaniata sparsaque indignatus est, omittam [2]. Utraque etiam lingua diserte et ornate locutus est Germanus Valens Aurelius cujus Musa Pleiadis inceptis favebat [3].

Propertii quamdam elegiam Alphonsus Elbenæus, Itala gente, gallicis versibus aptavit ut Turnebum conjugi suæ suprema mandantem induceret [4]; qua quidem prosopopœia de viri modestia et integritate non incondita dixit [5].

Quemadmadmodum Daphnin olim deflevissent, ita nunc exstinctum Turnebum Pana, Oreadas Dryadasque lugere Julius Garsentius gallico carmine docuit; qui vero nimis ambitiosis ornamentis sapientior pepercisset, dum scientiæ Herculem alterum Turnebum vocat [6].

Ut ad Latinos redeamus, Claudii Roilleti Belnensis, Burgundiorum in Collegio rectoris, carmen elegiacum memorandum est [7], ubi Græcis litteris Tusanum Straseliumque quondam ereptos, nuperrime

1. Vide supra, p. 77.
2. *Opera*, III, p. 104.
3. *Ibid.*, III, p. 106. — De Valente et aliis quorum nomina in his paginis occurrent, « personarum » indicem a me descriptum evolve. — Valentis autem μονῳδίαν Franciscus Thorius gallicis versibus pessime vertit. (*Ibid.*, p. 95.)
4. Vide supra, p. 109.
5. *Opera*, III, 109.
6. *Bibl. Sorb. volumen*, carmen 9.
7. *Bibl. Sorb: volumen*, carmen 1. Vide ejusdem Roilleti aliquot iambos, in Argentor. editionis limine (ad pag. decimam).

G. Morelium cum Turnebo questus est [1]. Latine Jacobus Prevotius, in Montacuto Collegio magister, versus elegantes scripsit [2]; græce Stephanus Manialdus Cleracius, qui medicinam Burdigalæ profitebatur [3].

Sed frigidum opus fuit Ripautii cujusdam Parisiensis « inter Viatorem et Philomusum dialogismus [4]. » — Idem de Francisci Picardi Caletensis « nænia » judicares; qui rem in altius ita duxit ut Adrianum Turnebum scriptoribus illis quos enucleavisset, longe præponeret [5].

Claudii Roilleti carmini respondens Joannes Morisotus latinis gallica addidit, quibus Petri Ronsardi stylum, ut ita dicam, mutuatus est [6]. — Prosæ vero propiores durosque versus Philibertus Milesius gallicis rhythmis condidit [7]; quibus haud multo meliores J. Luil., Turnebi discipulus quidam fecit [8]. Sed ista inferioris notæ scripta non nihil de vernaculæ linguæ mutationibus edocent.

Peregrinorum autem et apud Parisiensem Universitatem hospitum manus accedat; scimus enim Turnebi nomen trans Galliæ fines per diversas Europæ gentes innotuisse; quod Nathan Cythræus Germanus jure memoravit; neque ejusdem « Academiæ » tria lumina Ramum, Auratum, Lambinum salutandos neglexit [9]. — Sed non modo magistrum, verum etiam amicum pia mente prosequebatur Lucas Fruterius Brugensis :

1. De Tusano Morelioque vide supra. Joannes autem Straselius anno 1558 obiit. V. « Varia in eumdem epitaphia » Parisiis, apud A. Wechelum. 1558. (Bibl. Mazar., vol. 18771, f° 130.)
2. *Bibl. Sorb. volumen*, carmen 5.
3. *Opera*, III, p. 95; ubi Rossani utriusque, Gaill. et Germ. (ani), paucos versus legimus.
4. *Opera*, III, p. 110.
5. *Ibid.*, p. 111-112 : Francisci Picardi de Turnebi religione versus alios supra retuli (v. p. 107, n. 2).
6. *Bibl. Sorb. volumen*, carmen 12 quod latine hexametros versus, phaleucium et distichon priore parte continet; altera Gallicis versibus « apostropham » et « oden » parvulam [*une odelette*].
7. *Bibl. Sorb. volumen*, carmen 8 « *Sur le tombeau d'Adrian Turnebe... sonnet...* » « *Epigramme à la France* » — « *Complaincte funebre...* » — « *Partage des biens de Turnebe* » : qui versus ultimi omnino absurdi sunt. — Ibi vero notavi : « *ta vertu condigne...* », quod verbum subobscure compositum est.
8. *Opera*, III, p. 98. Joannes fuit Luillierus, ut opinor (v. indicem); hic scripsit « *vers ja sublins* »; « *demeu de mon debvoir non pourtant je seray* ».
9. *Bibl. Sorb. volumen*, carmen 7. — « Ad Mæcenatem suum Joannem Flemingum. » (V. indicem.)

Parvus amicitiæ tecum mihi venerat usus,
Parvus amicitiæ nec tamen usus erat.
Te memini quiddam ingenio invenisse sub isto,
Quod cuperes votis grandius ire tuis [1].

Ex advenarum discipulorum corona Carolus Utenhovius Gandavensis unus exstitit, qui cum litteris antiquis exornatus esset, Gallicas etiam interdum excoluit [2]. Hic, Joachimi Bellaii familiaris, Joannis Morelli Ebredunensis tres filias edocuit; cumque Lutetiæ moraretur, Turnebum « a quo ipse docebatur, frequentare solebat [3] »; priusquam autem ad Paulum Foxium in Britanniam emigravit, dilectissimi magistri judicio insigni decoratus est [4]; cujus vero nomen in « Allusionum » libro [5] posuit.

Nicolaus Vergetius, nisi jam humanitate præstantissimi interrogandi essent, cum Petro Ronsardo de Turnebi obitu conquerens audiretur; qui tamen, natione Græcus, de Græcis litteris, Angeli patris exemplum secutus, bene meritus est [6].

Galliam loquentem Dionysius Lambinus induxit, orbam alumno fletusque spargentem quod civilis belli cladibus tantus dolor sibi superadditus esset; quæ quidem Virgiliana similitudine quadam Lambinus expressit [7]; nec injucunde Turnebi doctrinam per orbem terrarum diffusam ostendit [8]. Sed quanto gravior et nobilior laudatio

1. *Opera*, III, p. 92-93. Cujus Fruterii condiscipulus Janus Duza Nordovix Turnebum et ipse audiit. V. *Thuani Historiarum* lib. 131 (anno 1604).
2. *Basiliensis editio*, tertia pars : « *Caroli Utenhovii Xenia seu... Allusionum liber I.* » Hic cum latinis, græcis et hebræis etiam versibus gallico sermone varia carmina intermixta sunt (ut : « *estrennes, dizains, sonnets,* « *acrostichis* » (sic), *devises, anagrammes, epitaphes, odelettes* »).
3. V. *Bibl. Nat.*, ms. lat., 8589 (fol. 3). Carol. Utenhovii ad Joannem Morellum epistola (anno 1562, 2. die novembris mensis; Lutetiæ).
4. *Basiliensis editio*, tertia pars. p. 4. « *Adr. Tornebus Paulo Foxio Gall. Regis in Anglia oratori* : Ego de Car. Utenhovio sic sentio : egregium esse juvenem in utraque lingua, cuique paucos comparare possis, vix ullum anteponere. Carpentarius in philosophia facile primas tenet... Hos homines si in familiam tuam adsciveris, Academiam nostram suis luminibus spoliaveris... » (Lutetiæ, 1563). — Carpentarius et ipse Rami fuit adversarius infensissimus, ac pæne interfector.
5. *Basil. edit.*, 3 pars., p. 90. De *torno facili* idem « allusit » Utenhovius atque Bellaius (v. supra, p. 77).
6. *Opera*, III, p. 109.
7. Ex vacca vitulum amissum requirente similitudo ducta est.
8. *Opera*, III, p. 105-106. Lambinus et ipse Turnebi christianam fidem extulit. (Vide supra, p. 109, n° 1).

illa visa est epistola qua collegæ suo commentarium in Lucretii librum quintum dicabat [1]! Illic omnium artium disciplinarumque peritissimum salutabat, qui « Romanæ antiquitatis scientissimus, iis temporibus et in iis locis, in quibus Græca lingua maxime floreret, natus esse videretur. » Præterea de Turnebi « incredibili memoria », de « studio atque diligentia » nos certiores in eadem epistola fecit [2].

Marcum autem Antonium Muretum, etsi nihil in Adriani tumulo poeticum scripsit, tamen hic cum Lambino conjungam ; Muretus enim Turnebo Ciceronis Philippicas orationes a se ipso editas « consecrari » voluit, cum neminem inter litteratos videret « cui plus deberet », quemve « judicem optimum de his rebus » deligeret [3]. — Turnebi quoque in Europa famam celebratam his verbis usurpatis Joachimus Camerarius extulit : « Nunquam ita magnifice quicquam dicam, id virtus quin superet ipsius [4]. »

Ut Joannes Mercerus, ita Sambucus de Turnebi religione potius quam de doctrina et eruditione dixerunt ; quanquam hic etiam grammatici laudes græcis aliquot distichis attigit [5]. Neque Theodorus Beza suos versus omissos indignetur, dum Henrici Stephani epigrammatibus locum secundiorem concedo [6]. Hic enim cum inclyti magistri inclytus ipse discipulus evasisset, mentem gratissimam [7]

1. « Titus Lucretius de Rerum natura libri VI ex auctoritate V manuscriptorum codicum restituti et brevibus commentariis illustrati ». Lutetiæ, 1563. — Cum autem primum librum H. Memmio, secundum Ronsardo, tertium Germano Valenti, quartum Mureto, sextum Aurato obtulisset, opus totum Carolo IX regi Lambinus dicavit.

2. *Ibidem*, et in Argentor. editionis limine, ad pag. sextam.

3. « *Trium dissertiss. virorum præfationes ac epistolæ* », p. 92 : Adr. Turnebo M. Ant. Muretus Lutetiæ, id. Mart. anno 1562. — Cf. ejusdem *Varias lectiones*, lib. XVIII, cap. 19. « Quidni enim mihi quoque Τουρνεβίζειν aliquando liceat ? Utinam quidem vere ac serio possem ! » scilicet locis obscurioribus lucem afferre. — De Mureto vide librum quem Ch. Dejob conscripsit.

4. *Opera* (in voluminis hujus limine, ad pag. 5.).

5. *Opera*, III, p. 93.

6. « *Theodori Bezæ Vezelii poematum editio secunda*... 1569 ». (Genevæ, apud H. Stephanum.) *Ibid.*, vide p. 96 quos Beza Turnebo versus dicavit ; V. *Ibid.*, p. 221, et in voluminis calce H. Stephani de eodem epitaphia.

7. Vide Herodoti, anno 1566, editi præfationem ad J. Camerarium, ubi Stephanus mortem Adriani Turnebi « sui post Petrum Danesium et Jacobum Tusanum præceptoris » deploravit. Huic epistolæ addidit græca disticha « ad Adrianum Turnebum », cum epitaphiis græcis et latinis quæ Theodori Bezæ versibus postea addidit : neque typographi laudem typographorum princeps omisit : cf. Maittaire, *Stephanorum historia*, p. 112-114.

in Herodoti latine versi præfatione testatus est. Nihil vero de Turnebi sinceritate et modestia rectius ab ullo scriptum est :

Cur placuit cunctis Turnebus ? Cur tot amici...
...Hic placuit cunctis quod sibi non placuit [1].

Joannem denique Passeratium, licet ad Petrum Ronsardum sermone vernaculo haud illepidos versus miserit [2], inter latinos poetas ea mente posui, ut ejusdem ad Lambinum elegiam præ ceteris « tumuli » carminibus palma donare mihi liceret. Adde quod Regii Collegii cujus in societatem ipse postea cooptatus est, gloriam insignem his latinis versibus prædicavit, dum Turnebum in Elysios campos subeuntem narrat :

Illic Budæus, nostræ laus altera gentis,
Umbræ Turnebi gestiet ire comes...
Clarus ab Hospitio, Memmi generosa propago,
Pimpunti studiis nobilitata domus,
Te flet Lambinus, cuique est cognomen ab auro,
Et Graiæ et Latiæ fama secunda lyræ :
Te noster vates, cujus numerisque modisque
Thebanus Gallis cedere visus olor [3].

1. Cf. *Opera* (Turnebi), III, p. 110.

2. Meslons doncques, Ronsard, meslons nos pleurs ensemble.
Combien que soit trop bas de mes chordes le son,
Pour monter à l'accord de ta docte chanson...
Tu vois notre Delbene, et le gentil Belleau
De leurs pleurs, comme nous, arrouser son tombeau.
Du mignard de Baïf la douleur n'est pareille...
Il ne boit ce malheur sinon que par l'aureille :
Nous l'avons beu des yeux, qui l'avons veu mourant...

quos quidem ultimos versus sapientior delevit : Mureti etiam, Buchanani et Aurat mentionem fecit, Adr. Turnebum laudem prædicantium. Qui vero illius manibus insultassent, eos increpuit verbis mirum in modum compositis :

Le deschire-tombeau et l'esgratigne-cendre,
Taupe de Cœmetere, et Strige, qui les os
Du plus grand des humains ne laisses en repos.

3. *Opera*, III, p. 107-108 ; qui noster Ronsardus fuit.

Ceterum eadem dicendi venustate atque gallici Passeratii versus, hæc elegia nitet :

> tuaque hinc fidissima conjux
> Confecta assiduis luctibus, orba, jacet :
> Vitis ut a socia quando divellitur ulmo,
> Languida marcenti vertice pulsat humum... [1]

Cum vero ad ipsam Turnebi familiam domumque Passeratius sermonem adduxerit, maxima caritate suos illum amplectentem Leodegarius nobis ostendet. Cum enim pestis uxorem affligeret, ægrotantis in cubiculo maritus permanebat, suaque dextra remedia porrigebat, a morbi contagione non refugiens [2]. Nonnulla etiam de Turnebi vita privata, ut ita dicam, idem retulit : « Siquidem ea fuit in victu frugalitate ; in corporis cultu contemptione ; in gestu moderatione ; in colloquio circunspectione ; in congressu comitate... in administranda domo prudentia ; in liberis instituendis, accuratione ; in publicis lectionibus assiduitate, in sublevandis pauperibus benignitate... denique in omni vita æquabilitate [3]. » His autem lineamentis viri candidi effigiem Scævola Sammarthanus feliciter expressit : « Statura fuit mediocri, facie honesta, probis moribus, accedente ad cæteras virtutes incredibili modestia : ut æmuli subinde per opprobrium illi objicerent, quod vultum virginali pudore demissum gereret [4], cum tamen sub verecundo ejus ore latentem generosi spiritus indolem ipsi quoque experirentur [5]. »

1. *Opera*, III, p. 106-107. Similitudines bellas affectabat Passeratius :

> Surgit ab Eoo quoties Thaumantias orbe,
> Memnonis amissi paret in ore dolor.
> Quoque loquax alitur gemmanti rore cicada,
> Ex flentis roseis labitur ille genis.

Hunc ad Henrici Memmii filiam versum quondam misit :

> Vous n'estes qu'un bouton : un jour vous serez rose.

Cf. *La vie publique et privée de H. de Mesmes...* par Ed. Frémy.

2. *Opera*, III, p. 100-102. (Leod. orat. fun.)
3. *Ibid.*, p. 100. Cum Leodegarius « in teterrimam Adr. Turnebi Catarrhum Prosopopœiam » fecisset, « in tristissimum ejusdem obitum... Epicedion » addidit. Cf. *Opera*, III, p. 102-103.
4. Quæ verba in Aud. Talæi admonitione legimus. (*Coll. præfat.*, p. 567.)
5. *Gallorum doctrina illustr. Elogia.*

Quanto vero studio, quanta fide in amicos Turnebus se gesserit, cum multa nobis probaverint, illam etiam quam ad Carolum regem cum Sancti Cypriani scriptis mittebat, epistolam in testimonium proferam. Cum enim Guilielmus Morelius hoc ipso anno 1564 vita decessisset, insignis typographi cujus in græcis libris edendis ipse socius fuerat, opus intermissum diligentissime perfecit ac pervulgavit [1] ; tum conjugi viduæ et liberis orbatis quos pæne omni ope destitutos Morelius reliquerat, apud regem patrocinatus est, ut æs alienum « non nequitia, sed studio de republica bene merendi » contractum eis regia liberalitate dissolveretur [2] : idem simul ab Hospitale « cancellario » precatus est alia epistola qua pectus humanum et generosum patefaciebat [3].

Sin autem in amicum nimis indulsisse Leodegarium suspiceris, Michaeli Montano nonne credas qui humanæ naturæ atque indolis subtilis et acerrimus judex fuit ? Hic cum Adriano Turnebo commercium eo jucundius sibi fuisse dixit quod nihil acerbius, nihil arrogantius præ se ferens non solum de litteris quarum professionem haberet, verum etiam de rebus publicis ita prudenter loqueretur ut ab eisdem nullo modo alienus videretur [4].

Stephanus denique Pascasius, in hac clausula testis repetendus est, cum longius esset, si quidquid in Adriani Turnebi laudem æquales congesserint, enarrare vellem [5]. Pascasius enim Turnebo

1. Cypriani ipsam hanc editionem quam « prope absolvisse » Morelium dixit.
2. *Opera*, III, p. 54-55.
3. Quam epistolam nondum editam in appendicem retuli.
4. « *Les Essais* » (livre I, chap. 24). « Il n'avoit toutefois rien de pedantesque que le port de sa robe, et quelque façon externe qui pouvoit n'être pas civilisée à la courtisane, qui sont choses de néant ; etc. » — Quod eisdem fere verbis de Turnebo, et aliis « professoribus », Buchanano, A. Govea et Mureto Ronsardus dijudicaverat, quanquam morum elegantiam pluris quam Montanus faciebat. (Vide *Teissier*, I, 576.)
5. Tres huc addam : Petrum Ærodium, quem cum Adr. Turnebo necessitate quadam conjunctum Ægidius Menagius dixit ; (*P. Ærodii et Guil. Menagii vitæ, 1675*, p. 148 et 188) ; Philibertum Bugnonium qui Turnebi Lutetiæ discipulus exstitit (v. Ferd. Brunot, *De Ph. Bugnonii vita et eroticis versibus*, p. 3-4) ; Joannem denique Valkelinum a Fraxineto cujus ipsius testimonium referam :

> sous le grand Tournebu
> Aux ruisseaux d'Helicon tout altéré je bu,
> Et sous Muret encor...

[*Edit. de Jul. Travers*, Caen, 1869, t. I, p. 187-88.]

familiariter utebatur; quemque in gravissimo discrimine patrocinii quasi participem habuit[1], ejus eximiam doctrinam in amplissimo suarum « Disquisitionum » libro memoravit : scilicet Adrianum Turnebum, ut Cujacium et Ramum quibus Parisiensis Universitas superbiret, tanta fama apud ceteras gentes eminuisse ut illorum tria nomina quisque litterarum studiosus audiens statim assurgeret, et, capite detecto, reverentiam demonstraret[2].

Itaque a Pascasio Adriani Turnebi filii, Odo, Stephanus, Adrianus impetraverunt ut quas e patris commentariis reliquias in lucem ederent, auctoritate sua tueretur[3]. « Adversariorum » autem tomum tertium Christophoro Thuano, senatus Parisiensis summo præsidi, anno 1573, dicaverunt[4]; quæ quidem utpote non satis exacta Josephus Scaliger vituperavit[5]. Ista enim filiorum voluntas et diligentia culpanda est, quod, quidquid manu sua pater scripsisset, cum optima, tum deteriora, sine ullo delectu prælo commiserunt[6]. Attamen melius ab eisdem patris memoria servata est, cum poemata quorum alia pluribus in libellis edita, alia in chartis manu exaratis

1. V. supra p. 95 et sq. — Cum Turnebo Pascasius in Collegio Becodiano spectator aderat anno 1552 illa die qua Jodellii duo fabulæ (*La Rencontre et La Cléopâtre*), actæ sunt (*Recherches de la France*, lib. VII, cap. 7, p. 618.)

2. « *Recherches de la France* », lib. IX, cap. 18, p. 834. Vide etiam *ibid.*, lib. VIII, cap. 29, p. 207.

3. *Opera*, I, p. 13. « Adr. Turn. commentarii in Cic. Orat. tres de lege agraria », Steph. Paschasio Odo Turnebus, anno 1576 : in hac epistola legimus : « tota Turneborum familia quæ tibi sanguine juncta est » : cujus consanguinitatis ratio me inquirentem omnino fugit. Pascasius autem, qui « Adversaria » disticho laudaverat (*Opera*, in limine, p. 8), Adriani tumulo versus aliquot inscripsit (*Opera*, III, p. 110). Postea Odonem Turnebum, anno 1581 mortuum, latine et gallice deflevit. (*Les Œuvres meslees d'Est. Pasquier*. Paris, 1619, p. 547 et sq.)

4. Epistolam vero, 12 cal. Januar. 1572 anno datam, ad Thuanum Adrianus filius misit, dicens suos fratres Odonem et Stephanum « legum et juris civilis studia nunc Tholosæ persequi ». — Ut primum Adversariorum librum Leodegarius et Fuscianus Clericus latinis versibus, græcis Nicolaus Gulonius salutaverant, ita tertium Joannes Auratus latino carmine excepit. Disticha vero græca Ιωάννης ὁ Γαρδέσιος addidit quibus apis floribus e variis mel colligentis Adr. Turnebum simillimum exornate descripsit.

5. *Scaligerana* (Groningue, 1669), p. 145. — Adr. Turnebi Commentarios etiam in Varronem Scaliger ut « abortivos » deriserat (Ejusdem in *Varr. conjecturæ*; 1573, p. 193). Verumtamen idem addidit : « Turnebus plura habet in uno libro quam Victorius libris septem et triginta » *Scaligerana*, p. 245 ; cf. 126.

6. Quanquam Jacobus Daniel et Joannes Furdinus ista omnia ex Adriani Turnebi chartis eruta digesserunt. — Vide « Commentarios in libros Varronis... » quos Hospitali Odo Turnebus, anno 1566, dicavit; — et : « Commentarium in

jacerent, in vulgus, anno 1580, emiserunt[1]; quibus in carminibus Turnebum « operosum ac diligentem » Scaliger judicavit[2]; Scævola vero Sammarthanus « sublimem atque acutum » ; is eumdem « in oratione soluta tersum atque elegantem » fuisse addidit.

Talia de Turnebo inter æquales præclarissimi judicaverunt ; cum autem viri mores et indolem satis noverimus, quid de scriptore nobis posteris sentiendum sit, summatim exponam.

« Magnum[3] » fuisse Turnebum illi omnes una proclamaverunt ; cujus quidem nominis dignitate professoris et grammatici doctrinam singularem significabant ; neque ego Camerarii nec Henrici Stephani suffragium abolendum esse censeo. Satis enim constat egregiis litteris in Gallia instituendis post Budæum totas animi vires Turnebum effudisse ; Græcis præcipue suis operibus novam pæne lucem attulisse. Quis vero nostrum humanitatis primos fautores, tanquam victoriæ antesignanos et præcursores grata mente non veneretur ?

Attamen, si quod Adrianus ipse scripsit, non quos edidit aut interpretatus est, perpendas, periculum est ne tantis laudibus ejusdem ingenium veluti superatum esse tibi videatur ; quæ quidem scripta neque majoris facere, neque rursus imminuere vellem. Sed quid valeant, melius etiam cognosces si Turnebum cum nonnullis ejusdem ætatis qui latina lingua usi sint, mecum breviter contuleris. Ceterorum enim qui doctissimi XVI sæculo floruerunt, manum confertissimam e regione producere labor insanus esset ; at mihi in Gallia remanenti nec ultra Regii Collegii spatia evaganti locus æquior erit ut inter ipsius magistros, collegas, discipulos quibus ille scribendi facultate sua propior accesserit, vel haud impar exstiterit, ostendens huic opusculo conclusionem imponam.

Cum Tusanus nihil admodum scripserit[4], Danesius autem fere

Horatium... » cum Odonis lectori admonitione a. 1577. — Joannes vero Furdinus Adversariorum copiam recollectam cum indicibus anno 1573 et 1580 edidit.

1. Quem librum Achilli Harlæo Bellomontano Odo Turnebus festivis hendecasyllabis dicavit. (*Poemata*, p. 3-5.)

2. *Scaligerana, ibid.* At « operosum » forsitan in vitio Scaliger posuerit.

3. Quaæ vox gallice melius sonat : « *le grand Tournebus !* » — « Divinus » etiam a Justo Lipsio vocatus est. (*Select. centur. secund. epist.* I : ad Adr. Turn. Adriani filium).

4. Budæi epistolas apud Badium Ascensium anno 1531 edidit : « lexicon græco-latinum » etiam conscripsit quod a. 1552 vulgatum est. V. Goujet. *Coll. Royal.* I. 405 et sq.

nihil [1], ad Budæum illum quem Regii Collegii conditorem optime dicas, regrediendum est ; cujus scriptoris auctoritas et ubertas tanta fuit ut Adrianum Turnebum facile vicerit. Etenim non præfationes modo aut epistolas, verum etiam libros protulit ; licet autem non satis expedita neque concinna illius oratio cadat, ingenio fuisse mediocri jejunaque dicendi facultate Budæum quidam immerito contendit [2]. Plurimum vero apud Turnebum valuit, cum hic sæpius eadem atque ille de litterarum dignitate, de Christianismi cum græca philosophia consensione, de moribus Ecclesiæ reformandis senserit et dixerit [3].

Quod si Desiderio Erasmo unus et alter longe inferior evasit, quis negabit omnium illo sæculo latinorum scriptorum principem Erasmum exstitisse ? Qui quod Regio Collegio non adscriptus fuit, neque rex Franciscus neque Budæus culpam sustinuerunt [4].

Ut ad ipsius Turnebi tempus adveniam, duo sunt viri quibuscum rectius sit comparandus. Petrum autem Ramum quem in certamen supra deduxi, adversario suo in orationibus eloquentiorem, at in disputando subtilitate doctrinaque minorem fuisse commemorabo [5]. Quod si infensiorem impetum quam decebat, Turnebus fecit, morem inter doctissimos usitatum servavit. Unum addam, ne Petro Ramo injuriam ferre videar : acriorem ei fuisse mentis aciem quæ omnium artium naturam communem amplecteretur, nec tantum antiquis litteris, sed etiam Gallicæ linguæ summo studio incumberet [6].

At contra Latinis Græcisque Turnebus toto pectore deditus est ; in eorum verba juravit ; cujus mentis et disciplinæ conjunctissimum sibi socium Dionysium Lambinum habuit. Græcorum litteras et

1. Vide supra, p. 34, n. 3.

2. Rebitté : « *Guill. Budé*... etc. » ; v. p. 261 et 274 ; quod judicium ab Egger (*L'Hellénisme en France*) acceptum est ; attamen sibi ipsi contradixit Rebitté cum Budæi quibusdam in locis pæne eloquentiam agnoverit ; *ibid.*, p. 275.

3. Quæ jam supra indixi ; cf. « De studio litterarum recte et commode instituendo » (1527) — « de transitu Hellenismi ad Christianismum » (1534) et « Commentariis linguæ græcæ » præfixam orationem (1529). — « de Philologia » 1530.

4. V. Lefranc, *Coll. de Fr.*, cap. II.

5. Vide supra, p. 15.

6. V. Waddington de Ramo ; — linguæ Gallicæ grammaticam primum anno 1562, deinde 1572 P. Ramus edidit.

scientiam uterque suis orationibus extulit [1]. Qui vero Lambinus Turnebo defuncto superfuit, Regio Collegio cui pericula etiam tum imminebant, patrocinari non desiit. Itaque si Lambini præfationes et epistolas perlegeris, quas fortunæ vicissitudines, Henrico II et Carolo IX regibus, regii professores perpessi sint, edisces [2] ; quibus tamen de rebus pernoscendis non nihil a Turnebo acceptum esse demonstravi.

Præterea novam suo tempore dicendi et lectitandi speciem uterque magister ante auditores exhibuit. Prius enim quam scriptorem explicaret, de scriptore sententiam exponebat ; hunc etiam cum aliis ita conferebat ut totius scribendi generis vis et historia uno tenore conspiceretur.

Hanc oratoriam virtutem a præfationibus in epistolas Turnebus deduxit quas librorum editionibus præponebat ; quippe qui in dicendo non minus quam in scribendo usu quotidiano versaretur [3]. In his etiam de Græcis erudite et subtiliter disseruit, quanquam sæpius rem contrahebat, cum non jam de cathedra sibi prælegendum esse intelligeret. Verum istius brevitatis vitio non ipse culpandus est, cum epistolarum leges suo tempore præscriptas pati cogeretur ; ami-

1. Vide supra quæ Turnebus dixit, p. 9 ; cf. 23, n. 1.— Hæc autem Lambinus : « omnes artes... a Græcis aut inventas aut perfectas esse reperiemus ; græcis nominibus appellantur, latinis carent, usque adeo ut quoties eas volumus appellare, græca nomina cogamur mutuari atque usurpare... » (id est cum gallice loquimur) « *D. Lambini... oratio Idib. januariis habita, 1562* », p. 5 et sq.

2. Cf. supra, p. 89, 90, etc. — Vide etiam Lambini orationem habitam « VII. id. nov. pridie quam librum III Aristotelis de Rep. optime administranda explicaret » 1570. Adde epistolam ad H. Memmium Ciceronis operibus præfixam in qua cum sui temporis grammaticos, tum nobilissimos Galliæ viros qui litteris faverent, idem enumeravit (1566, in-f°). De Regio collegio per Francisci I regnum legenda est epistola quam ad Carolum IX scriptam Horatii carminibus Lambinus præfixit (Lutetiæ). Quæ cum ita sint, nonne rectius Abel Lefranc D. Lambinum primum Regii Collegii historicum fuisse dixisset, nedum Henrico Monantholio eumdem honorem detulisset ? (V. Lefranc, *ibid.*, p. 232.)

3. Latine enim dicebat et lectitabat ; id omnino mihi compertum est ex illis orationibus de « philosophia », de « historia » etc., ante auditores habitis ; quas si vernaculo sermone pronuntiavisset, in latinum profecto convertendas non curavisset. Idem ex Lambini et aliorum orationibus non minus manifestum habeo. Quare mihi admirationem injecit Abel Lefranc (*ibid.*, p. 142) dum unius Rami testimonio rem probatam esse contendit ; dixit enim Ramus Tusanum latino sermone et vere Ciceroniano prælegere solitum. (*Collect. præfat.*, p. 578.) Alterum autem auctorem Becker invenit, Ludovicum Regium ; quippe qui apud auditores suos se ipsum excusaverit quod primum ad Demosthenem explicandum gallicam linguam usurparet (v. Becker, p. 173).

cus enim aut patronus diutius salutandus erat quam ut judicium de scriptoribus planius explicari liceret [1].

At si critici diligentiam in Adriani Turnebi epistolis interdum desideravisti, tamen neque sententiis neque rebus egere visæ sunt Nam in eisdem de gravissimis quæstionibus quæ in hominum controversiam incidebant, libere et eloquenter Turnebus disputavit. Qui vero ad Cardinalem Lotharingum de oraculorum defectu, ad Carolum IX regem de bello civili christianaque fide epistolam scripsit, is grammaticis artibus aliquid majus attulit; quæ quidem gallico sermone tractata maluissem; at certe XVI sæculi latinitatem exornaverunt.

Etiamsi pro tempore facetus fuit, tamen illa gravitate orationem maxime commendavit cujus cum Lambino et Budæo particeps fuisse mihi videtur. Alios profecto in epistolis conscribendis lepidiores et uberiores inveniemus, sive inter ejusdem æquales Marcum Antonium Muretum [2] elegerimus, sive ad ætatem quæ illis proxima successit, descendentes Henrico Stephano vel Josepho Scaligero occurrerimus.

Sed nemo meram latinitatem magis callebat quam Turnebus; qui cum tot Ciceronis locos emendavisset, non Ciceronianos secutus est; raro quidem aliquot verbis sensum recentioris ætatis aut vernaculo sermone desumptum haud inscius imposuit; ista vero licentia quam

Propter egestatem linguæ et rerum novitatem

XVI sæculum sibi nimis concedebat, Turnebus non abusus est [3];

— Mihi vero liceat tertium locum proferre. Lambini ex oratione quadam desumptum; hic enim litteras a rege sibi datas in latinum se vertere dicit cum gallica lingua conscriptæ fuerint, « primum ut advenæ vel nostri sermonis imperiti easdem intelligant; deinde ne gallica oratio evadat quæ latine cœpta sit haberi. » (Anno 1570, p. 14, 15. — *Mazar*. 10314.)

1. Vide supra, p. 33.

2. Adde quod Muretus insignes orationes de litterarum studiis apud Italos fecit; eloquentis enim professoris facultate magis quam grammatici doctrina hunc enituisse Ch. Dejob ostendit (p. 69, 86 et sq.; 265, 327, 398, etc.).

3. Ea quidem nomina quæ scholasticus usus consecraverat, ut: « Universitas » — « professor » — « collegium » usurpavit. Nam ex latinis verbum fere unicum fuit cujus apud Turnebum sensum, utpote novum et gallicum reprehendas: « auctor » pro « scriptor. » (Vide supra, p. 12, n. 5.)

inde factum est ut in verborum quorumdam circuitu definiendo laborans res suboscuras interdum reliquerit [1].

Ut latine, ita græce præfationes nonnullas conscripsit [2], quibus significari volebat quanto studio et amore Platonis linguam divitissimam ac pæne divinam prosequeretur; qui mos a Budæo prius usurpatus ab aliis celebratus est qui ut Henricus Stephanus ἐν τῷ ἐλληνίζειν vitam consumebant.

Latinum denique poetam respiciamus. Cum in distichon nobilissimos inter illius temporis latinos poetas Carolus Utenhovius includeret, sex Italis tres modo Gallos opponens, Turnebum, Hospitalem, Auratumque, omnes uni Buchanano postponendos censebat [3]; qui quidem num tanto honore merito cumulatus fuerit, valde dubito; sin autem Hospitalem et Auratum latinitatis virtutibus superavit, Turnebo non longe præstitit.

Nam in versibus Adrianum exactiorem etiam et elegantiorem quam in oratione soluta reperimus. Quod si Virgilium in epicis, Horatium in satira imitatus est, nihil aliud Buchananus egisse mihi videtur. Sæpius vero Turnebum a Juvenale vel Martiale vel ipso Persio verba minus detrita sive insolentia detraxisse fateor ut curiosam tanquam felicitatem exhiberet [4]. Quid quod res et sententias, non verba nec translationes nec versuum structuram hic et ille effingere potuit? Sed quæ priscis sacratisque exemplaribus Turnebus detorquebat, ea temporis sui moribus et facinoribus describendis sollerti quodam artificio flectere nitebatur.

Rerum publicarum vices motusque quorum ipse « pars maxima »

1. Quod magis in versibus ejus quam in oratione soluta animadverti, dum gallicos usus et magistratus significari vult.

2. V. supra, p. 33.

3. Tres Italos Galli senos vicere, sed unum
Vincere Scotigenam non valuere novem.

Sex autem Itali fuere Sannazarus, Frascator, Flaminius, Vidius, Naugerius, Bembus. — (*Basiliensis editio*; prima pagina versa; ubi et Adr. Turnebi de Buchanano judicium inscriptum est. (Ex lib. Adversar. I, cap. 2.)

4. Cum multi loci quos retulimus, legenti id comprobaverint, aliquot etiam ejusdem generis exempla subjicio:

quæ lupas, *mandras*, fabros,
Pedoque *betas*, causia et *fungos* beat.

fuerat, amplissimis carminibus Hospitalis evolvit; qui consulis fasces præ se gerebat, consule digna cecinit. Neque profecto tanta dicendi copia et ubertate Turnebus valuit; quanquam in suo de Caleto carmine ceteris poetis superior exstitit. Adde quod ab Hospitale aliorum versuum mentem et consilium videlicet accepit [1].

Joannem Auratum Pleias Gallica sibi cooptavit, cum nihil aliud fere quam græcos aut latinos versus exaravisset; cujus Musam exilem jejunamque in locum inferiorem dejectam esse maluissem. Pleiadis enim laudibus non vano præconiorum sonitu, sed acerrimis in aulicos satiris Turnebus inserviit.

Joachimum Bellaium cur in Latinos Carolus Utenhovius non adscripserit, causa nimirum fuit quod inter Gallos primum pæne locum obtinuerat. Qui vero Margaritæ Valesiæ versus eximios antea dicaverat quibus patrium sermonem usurpantes approbaret [2], idem apud eamdem sese excusavit quod « intermissis gallicis latine scriberet [3] ». Nempe Scaligerum et alios increpans Ronsardus non prævideratcommilitonem a se defecturum; istum fidei proditæ minime puduit, cum amoris vulnus secretum latinorum elegorum ritu traderet.

Amores nihil Turnebus sane curavit; sed quemadmodum Tibulli vestigia Bellaius secutus est, sic Horatium meminit. Etsi vero dic-

(*Poemata*, 118.) De romana pontificum aula res agitur quæ illis pecuniam, his « episcopale » sceptrum vel purpureum petasum largitur. *Mandras* autem non jumenta, sed eorum ductores, id est homines incultos translatione quadam Turnebus vocavit, ut in aliis versibus : « indoctæ convicia mandræ » (*ibid.*, 104) « urbeis rodent pecuaria mandræ Ignavæ) «*Ibid.*, 73). — Cf. Juvenalis satira III, v. 237 : « stantis convicia mandræ Eripient somnum Druso. » [græce μάνδρα : stabulum] — Betas [gallice : *bettes*, *betteraves*] et *fungos* [Gall. *des champignons*] pro vilissimis et nauci hominibus Latini sumebant. — Cf. *aurem batavam* (*Poem.*, 123) quam dictionem apud Martialem legimus (VI, 82, 6).

Ex Horatio multa etiam sumpsit : « diludia posco » — « qui mediastinus fueram... » (*Poemata*, 124. — Cf. Horat. Epit. I, 14, vers. 14.) — Ex Lucilii versibus (apud Nonium) *monogrammos* dixit qui essent macie confecti. — Artificum nomina sæpius facete congerit : « *Caupo, piscator, salsamentarius, auceps...* »; « *rogatorum ultimus...proseuchæ incola* » (p. 48) — « *lanius, caligarius* » (57) *rabula* (pessimus orator; ex Lucilio, apud Festum). — Rerum etiam nomina conquirit : « *abolla* [vestis militaris], 48; *catastæ* (servorum carceres), 49; cf. *spoliarium* [ubi gladiatores occidebantur] translate positum, p. 59; *bolus* [pro *quæstus*], etc.

1. V. supra, p. 49.
2. « A Madame Marguerite : d'escrire en sa langue »: *Recueil de poesie*, ode III.
3. *Joach. Bellaii poematum libri quatuor...*, 1558 », f° 3.

teriis amarioribus et nigro sale hic et illic non abstinuit, sæpissime facetus et lepidus, meo quidem judicio, fuit, sive Musarum ærumnas describit, sive *soterici* aut *aulici* figuram vivo colore depingit. Quare satira Turnebum eminuisse concludam.

At non ejusdem latinitatem, sit licet plerumque sincera jucundaque, tanti fecissem ut in his præfationibus et poematis excutiendis tamdiu commorarer, nisi in XVI sæculi memoriam materiem uberrimam mihi contulissent. Quod autem in proœmio prædixi, id me satis explicuisse puto. Adrianus enim Turnebus illius temporis testis et auctor conspicuus exstitit quo ex antiquis litteris vernaculæ poesis renovationem Petrus Ronsardus sperabat; cum vero « Regius professor » ipse Latinis et Græcis faveret, bonus civis fuit ac vere Gallus, si quidem humanitatis et scientiæ libertatem juraque vindicando pro patria etiam pugnavisse merito dicendus est.

APPENDIX

ADRIANI TURNEBI EPISTOLÆ NONDUM EDITÆ

Adr. Turnebus Mich. Hospitali Cancellario Galliæ. S. P. D.

Obsecro, vir amplissime, ut ignoscas mihi, si literis intempestivis tua tempora interpellare ausus sim. Jus et fas cogit me, ut apud te potius solitudini et inopiæ patrociner, quam tacendo desim. Guillelmus Morelius magno literarum incommodo Idib. Februariis obiit, magnumque sui desiderium bonis omnibus et acerbum mœrorem amicis reliquit. Is quandiu vixit his in edendis elaboravit libris, qui rem magis publicam ornarent quam privatam augerent. Uxori et liberis nihil nummorum reliquit, æris vero alieni multum. Demosthenem[1] ingenti ærumnosoque labore, plurimis excussis Bibliothecis, collatisque exemplaribus inchoavit, longèque jam progressus erat. Nunc tuam istam non tantum nostræ Galliæ, verum etiam orbi terrarum notam imploramus fidem et æquitatem, ne præclara opera, ereptis viduæ mulieri matricibus regiis, irrita et inchoata jacere sinas : quod illi non majore damno, quam doctis omnibus esset futurum[2]. Hic etiam vere commemorare possum, literas regias ætate detritas et fugientes ejus sumtibus fusas atque renovatas esse[3]. Est iniquum ex demortui et viduæ incommodis homines alios sua comparare commoda conari. Non enim dubito, quin jam ad vos multi advolarint petitores : sed qui ambitione nescio qua capti tituli Regiæ typographiæ, malint etiam atque etiam istas literas quam operosas habere, ut Regii typographi dicantur, qui quidem eis non magis uti possint quam gladio pueri. Quamobrem a

1. V. *Maittaire, Historia typographorum*, p. 41 ; cf. epistolam Lambini in Demosthenis editione quæ apud J. Bene Natum a. 1570 vulgata est.
2. Cf. ad Carolum IX epistolam, *Opera*, III, p. 54-55. « Dionysium ejusque interpretem et paraphrasten ediderat (1562, in-8° ; v. *Maittaire, ibid.*). — Cyrilli catecheses ad umbilicum pene perduxerat... » qui liber hoc ipso anno 1564 editus est (v. *Mait., ibid.*) — « Cyprianum... prope absolverat » (v. supra. et librorum indicem).
3. De literis regiis a Turnebo quondam G. Morelio traditis (10 d. april. 1556), v. J. Dumoulin (*Bulletin du Bibliophile*, 15 juin 1898).

te peto, ut viduam tua justitia ab omni injuria tuearis, alios petitores negligas. Equidem me petitorem libenter ferrem, etsi per te hæc nunc fero et profiteor, ut viduæ potius et pupillis consulatur [1], quam subsidia vitæ per alienos homines iis eripiantur. Sed ut exorsus eram dicere, obsecro te iterum, vir amplissime, ut ignoscas mihi, si amicitia mortui impulsus, dum ejus uxori et liberis consultum cupio, tuæ amplitudinis non satis rationem habuisse videar, qui te his de rebus interpellare ausus sim. Vale, Lutetiæ Parisior. XIIII Kal. Martias [2].

(*B. Nat. Collection Dupuy*, vol. 16, f° 8, ex autographo Adr. Turnebi.)

V. C. Errico Memmio supplicum libellorum in regia magistro Adrianus Turnebus S. P. D.

Sedisti judex in Iesuitarum causa : post tuam profectionem iterum publice acta est maximo hominum conventu. Regis advocatus gravissima oratione eos ita oppugnavit, ut si qui senatum habebat, sententias rogare voluisset, in urbe remanere non potuerint. Sed statim dimisit senatum, et a nostra mox schola rogatus, ut die comperindinationis rursum causæ dicendæ potestatem faceret, se facturum pernegavit, causamque non palam sed clam disceptatum iri dixit. Sic res ea tota et adeo nostra elusa est. Suspicamur etiam non mediocriter nobis obfuturum Hispaniarum Reginæ adventum et colloquium cum Regina. Illam enim, ut opinamur, deprecatricem apud Matrem adhibebunt [3]. Obsecramus igitur te, si quid ab adversariis observaveris moveri, ne causam nostræ scholæ, cujus tu florentissimus alumnus es, ne causam patriæ, qua nihil charius habes, deseras : nec sinas illam sectam malis artibus et fallacia ad detrimentum et perniciem Reipublicæ obrepere. Alteram habet et schola nostra causam, quam tibi commendatam esse vehementer optat. Chartæ, id est libris imponitur vectigal ante hanc diem nunquam auditum ; aliis ex rebus, si fiscus æger et inanis est, major multo vis pecuniæ commodius sine tanta hominum querela et studiorum calamitate colligi potest. Rogamus igitur te majorem in modum, ut id Cancellario demonstres, ne literas, a quibus ornatus est, vectigali oppressas esse patiatur [4]. — Adversaria hac hebdomade, ut

1. G. Morelii vidua Joanni Bene Nato paulo post nupsit, eique prioris mariti « typographiam » tradidit (v. *La Caille*, p. 153).
2. Id est, 16 die mensis februarii anno 1564 ; Morelius autem 13 die ejusdem mensis obierat.
3. Catharinam Medicæam ; de Hispaniæ regina, v. supra, p. 46.
4. Chartis enim vectigal edicto regio, novembri mense a. 1564, impositum erat ; de quo cum Universitas mense januario 1565 (1564, pro veteri ratione) incassum conquesta esset, deprecantem Turnebum H. Memmius et Hospitalis exaudiverunt, edictumque mense augusto 14 d. ejusdem anni abrogatum est (v. Jourdain, *Index chronologicus* ; cf. *B. Nat. ms. fr.* 21,816).

spero, absoluta erunt : et ad te propediem mittemus. Vale, Lutetiæ XIIII Kal. Maias [1].

A Monseigneur || Monseigneur de Malassise maistre || des Requestes en l'Hostel du Roy || en Louvre.

(*Bibl. Nat. Collect. Dupuy*, vol. 16, f° 9, ex autogr. Adr. Turn).

Bibl. Nat., ms. latin. 10327 (*Epistolæ clarissimorum virorum*). Quod volumen multas multorum ad Henricum Memmium epistolas et carmina scripta continet ; ad f° 133 epistulium Adriani Turnebi manu exaratum legitur [2], quanquam hic nomen suum non addidit :

« Remitto tibi tuas literas, vir amplissime, et quas ad me amantissime scriptas dedit Dominus Cancellarius [3], una mitto ut intelligas quantum tibi debeam : qui [4] enim vir ille clarissimus tantum me amat, quod aliquem esse putat qui nullus sum, id totum, ut Flaccus ait, muneris est tui. In versibus quos mihi donasti puto legendum *illa vagans errore rato*. Nam, ut vagus ejus error sit, tamen certus et ratus est. Eos versus, nisi quid tibi secus videtur, statim Adversariis tuis cum honorifica tui appellatione inserui [5]. Et in eis nescio quid antiquum a paucis in poetis notatum videor observasse, ut occasio non desit intexendi. »

In ejusdem voluminis f° 136 gravissimam ad Henricum Memmium Dionysii Lambini epistolam legi, Lutetia, 2 die Julii mensis datam. Quam cum L. Dorez cum aliis Lambini litteris [6] in lucem mox editurus sit, tantum quæ in ea Turnebum spectant referam.

« Monsieur, Je ne doubte pas que n'ayez receu une doleur presque infi-

1. V. hujus epistolæ partem gallice versam apud *Douarche, L'Université et les Jésuites*, p. 93. — Senatus autem Parisiensis 5. die mensis aprilis, anno 1565, causam distulit ; hanc epistolam ad Memmium 17 die ejusdem mensis Turnebus misit.
2. Quod mihi vir eruditissimus et benevolentissimus L. Dorez indicavit.
3. Michael Hospitalis.
4. Nisi potius *quod* legendum sit.
5. Equidem legi *inserere*. — Secundum *Adversariorum* tomum qui jam primo successurus erat, his verbis Memmio suo Turnebus prænuntiabat. Hæc autem in libri XVIII capite secundo legimus : « Clarissimus vir Herricus Memmius gravissimos et politissimos poetæ cujusdam veteris mihi donavit versus, quos multis locis corruptos felicissime emendavit... Petrus Daniel egregius juvenis carmen hoc audet Varroni Atacino tribuere. » Quod totum Turnebus subjecit « propter elegantiam pondusque verborum et ornamenta ». Hic de lunæ « certis erroribus » versum a Turnebo correctum reperies :

Namque vagans errore rato cum devia tortos
Colligit anfractus, metam sol eminus exit,
Intorquetque peplum noctis radiatque sororem.

(*Adversar.* editio 1580 ; t. II. p. 125-127.) — Vide P. Terentii Varronis Atacini poemata in *Fragmentis poet. roman.* a Bæhrens, 1886, editis.
6. Vide etiam Bibl. Nat. *ms. lat.* 8647.

nie de la mort du premier de l'Europe en lettres... » Tum de suo ipsius a Gallia discessu Lambinus agit : « Une des grandes raisons qui me meuvent, est l'indignité, voiant que nous sommes si mal traictez de ceux qui gouvernent, et qu'on y a si peu d'égard à nous. Hoc idem Turnebus noster gravissime prævidebat..... Je reviens à nostre misere. Si vous ne nous faites payer de nos gages entierement, nous sommes desesperez. Il me semble que si vous entreprenez cest affaire, vous en viendrez à bout, ne faisant doubte que beaucoup de gens de bien vous seconderont, et in primis le chancelier. De nous faire paier de une demy annee seulement, vous voyez quelle raison il y a. Peut on vivre de deux cent xxv livres en un an? ...parler de nous remettre à Noel, c'est une autre iniquité....[1] Vous serez aussi tout à temps en la court pour choisir un substitut à Turnebe. Il y a Crucæus[2] et Pelerin et Bommoreau[3]. Pelerin brigue fort. Crucæus paucos habet suffragatores. Carpentier tient desja la place en sa manche; quod multis molestum est, plures indignantur; s'il avoit la cognoissance de la langue grecque, il y auroit quelque part... [4]»

— Tres epistolas, ad Danesium ab Adriano Turnebo græce scriptas, in alio volumine manu exarato perlegi. (*Bibl. Nat. ms. latin.* nº 17890; fº 1 ad 3.) Quid vero eædem ad Regii Collegii historiam mihi contulerint, in primo capite ostendi et verba notatione dignissima e græco sermone in latinum verti (v. supra, p. 15).

1. Vide supra, p. 89, n. 2; cf. 90, n. 2.
2. Gallice : *Nicolas de Grouchi* ou *La Grouche*. (V. *Teissier*, I, 413.)
3. Latine *Bommoreus* (*Renatus*) ; vide supra, p. 19, n. 4; de Pelerino, v. p. 84.
4. V. supra, p. 113, n. 4. Carpentarius mathematicarum artium professor Regius a. 1566 electus est. Pelerinus autem Græcæ philosophiæ vacuam professionem anno 1567 aut 1568 tantum obtinuit. (V. Goujet et Lefranc).

ADRIANI TURNEBI OPERUM INDEX

I

Præfationes et editiones.

« *Adriani Turnebi* Regii quondam Lutetiae professoris *Opera* : nunc primum ex Bibliotheca... Stephani Adriani F. Turnebi Senatoris regii, in unum collecta, emendata, aucta et tributa in tomos III, quorum Elenchum lector post præfationem Operum inveniet. Additi sunt singulis tomis singuli indices Rerum et Verborum locupletissimi. — *Argentorati*, sumptibus Lazari Zetzneri Bibliopolæ. — M.DC. »

Vide Zetneri ad St. Turnebum epistolam, ubi hanc editionem a Joanne Vulcobio curatam esse dicit. Hic enim Adriani scripta « ex ipsius autographo » quæ in filii bibliotheca jacebant, emendatiora prodidit. At multum abfuit ut Adr. Turnebi opera uno volumine Zetnerus complexus esset. Præfationum autem quarum plerasque cum poematis dedit, sæpius et annum et librum ex quo unaquæque excerpta est, tacuit. Quæ cum ipse disquisiverim, non modo librorum quibus præfatio addita est, sed etiam eorum qui præfatione destituti sunt, titulos et annum referam, ut quidquid Adr. Turnebus ediderit, ex ordine positum uno conspectu legens videat; quod neque apud *Niceron* (qui omnia incomposita, et interdum falsa posuit), neque apud *Maittaire* inveniet, quanquam hic ejus generis descriptionem breviorem adumbravit.

Ne tamen in easdem formulas incidam, his modo signis utar : *A. T.* (= *Apud Adrianum Turnebum, typographum Regium*). — *G. M.* (= Apud Guilielmum Morelium). Quos autem libros sine mentione quadam retuli, in *Bibl. Nat.* quisque reperiet.

1547

« *ADRIANI TURNEBI* oratio habita post Jacobi Tusani professoris Regii mortem, cum in ejus locum suffectus est. Nunc primum in lucem prodit. Lutetiæ apud Federicum Morellum. M. D.XCV. (in-12º).

[Bibl. Maz. 37, 232. 2º pièce].

1552

« ΑΙΣΧΥΛΟΥ ΠΡΟΜΗΘΕΥΣ ΔΕΣΜΩΤΗΣ, ΕΠΤΑ ΕΠΙ ΘΗΒΑΣ, ΠΕΡΣΑΙ, ΑΓΑΜΕΜΝΩΝ, ΕΥΜΕΝΙΔΕΣ, ΙΚΕΤΙΔΕΣ. — M. D. L. II. — A. T. » (in-8º).

Ad Mich. Hospitalem epistola, græce. In hac editione, ut in Aldina, 'Αγαμέμνων et Χοηφόροι fabulæ conjunctæ sunt.

« ΑΠΟΛΙΝΑΡΙΟΥ Μετάφρασις τοῦ Ψαλτῆρος, κατὰ στίχων ἡρωϊκῶν. — Apolinarii interpretatio Psalmorum, versibus Heroicis. — Ex Bibliotheca regia. — M.D.LII. — A.T. » (in-8º).

« *MARCI T(ULLII) CICERONIS*, liber de fato. — In eundem commentarius, Adriano Turnebo auctore. — MDLII. — A. T. » (in-4º).

« *M. T. CICERONIS* de Leg. Lib. III. — In eosdem Commentarii, Adr. Turnebo auctore. — M.D.II. — A.T. » (in-4º).

Odoni Castilionæo epistola. — Bibl. Sorbon.

« ΦΙΛΩΝΟΣ ΙΟΥΔΑΙΟΥ ΕΙΣ ΤΑ ΤΟΥ ΜΩΣΕΩΣ. — Philonis Judæi in Libros Mosis De Mundi Opificio, Historicos, De Legibus. Ejusdem libri Singulares. Ex biblioth. regia. — M.D.L.II. — A. T. » (in-f°; græce; rerum latinus index).

Epist. græc. ad Carol. Lothar. —

« ΠΛΟΥΤΑΡΧΟΥ. — Plutarchi Chæronei De primo frigido. — M.D.L. II. — A. T. » (in-4° græce).

« *PLUTARCHI CHÆRONEI* Commentarius De Primo Frigido, Adriano Turnebo interprete. M.D.L.II. — A. T. » (in-4°).

Petro Montaureo A. Turn.

« ΠΛΟΥΤΑΡΧΟΥ. — Plutarchi Chæronei De Procreatione animi in Timæo Platonis. — Δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι. — M.DLII. — GM. » (in-4° græce).

« *PLUTARCHI CHÆRONEI* De Procreatione animi in Timæo Platonis, Adriano Turnebo interprete. — M.D.L.II. — A. T. » (in-4°).

P. Gallandio Adr. Turn. — (*Bibl. Mazar.*).

« ΘΕΟΦΡΑΣΤΟΥ ΠΕΡΙ ΠΥΡΟΣ. — Theophrasti de igne. — M.D.LII. — A. T. » (græce in-4°).

Vide infra, ad annum 1553.

« *ADRIANI TURNEBI* in Timæum Platonis præfatio. »

Cf. *Opera*, t. III, p. 46; hanc præfationem anno 1552 habitam fuisse demonstravi (v. supra, p. 22); eamden a. 1595 (in-8), typis mandatam Niceron retulit; quam editionem, apud Fed. Morellum videlicet datam, nusquam reperi.

1553

« *M. T(ULLII) CICERONIS* Academicarum quæstionum lib. I. — In eundem commentarius, Adriano Turnebo auctore. — M.D.LIII. — A. T. » (in-4°).

« *M. T(ULLII) CICERONIS* pro C. Rabirio perduellionis reo ad Quirites oratio. In eandem commentarius, Adr. Turnebo auctore. M.D. LIII. — A. T. » (in-4°).

« Adr. Turn. lectori ».

« ΓΝΩΜΟΛΟΓΙΑΙ ΠΑΛΑΙΟΤΑΤΩΝ ΠΟΙΗΤΩΝ. — M.D.LIII. — A. T. » (in-4°).

Eadem « versibus latinis reddita » eodem anno Guil. Morelius edidit : « *Sententiosa poetarum vetustissimorum quæ supersunt opera* ». Cujus poeticæ translationis nihil Turnebus particeps fuit.

« ΗΦΑΙΣΤΙΩΝΟΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΣ. — Εγχειρίδιον περὶ μέτρων καὶ ποιημάτων. — Εἰς τὸ αὐτὸ σχόλια. — M.D.LIII. — A. T. » (in-4°).

« *LEOD. A QUERCU* animadversiones in Rullianos P. Rami commentarios. — Ad. graviss. virum Jo. Magistrum primum Senatus Parisiensis præsidem. — Lutetiæ, apud Mich. Vascosanum. M.D.LIII. » (in-4°).

« ΓΡΗΓΟΡΙΟΥ ΤΟΥ ΠΑΛΑΜΜΑ. Sanctiss. ac sapientiss. Gregorii Palamæ Archiepiscopi Thessalonices, per fictionem personarum orationes duæ judiciales, Mentis corpus accusantis, et Corporis contra se defendentis itemque Judicum sententia. — Ex bibliotheca regia. — M.D.LIII. — A. T. » (44 pag. in-4° græce).

Latina eodem anno « excudebat Guil. Morelius ». Quæ eidem volumini, sine altero titulo, conjuncta sunt (52 pag. in-4°).

« ΠΛΑΤΩΝΟΣ ΦΑΙΔΩΝ Η ΠΕΡΙ ΨΥΧΗΣ. — Platonis Phædo, Sive de Animo. — M.D.LIII. — A. T. » (in-4° ; græce).

« *ADRIANI TURNEBI* in Phædonem Platonis De Animorum immortalitate, Præfatio. — Nunc primum luce donata. — Lutetiæ, apud Federicum Morellum Architypographum Regium. — M.D.XCV. » (in-16°).

« ΣΟΦΟΚΛΕΟΥΣ ΤΡΑΓΩΔΙΑΙ. — ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΤΟΥ ΤΡΙΚΛΙΝΙΟΥ περὶ μέτρων οἷς ἐχρήσατο Σοφοκλῆς, περὶ σχημάτων, σχόλια. — M.D.L. II. — A. T. »

Ad Ranconet. epist. græca.

« ΣΥΝΕΣΙΟΥ ΕΠΙΣΚΟΠΟΥ ΚΥΡΗΝΗΣ. — Synesii Episcopi Cyrenes « De regno ad Arcadium imperatorem. — Dion, sive de suæ vitæ ratione. — Calvitii laudatio. — De providentia, seu Ægyptius. — Concio quædam panegyrica. — De insomniis, cum Nicephori Gregoræ explicatione. — Ejusdem Synesii epistolæ. — Ex Bibl. regia. — M.DL.III. — A. T. » (græce in-f°).

Epist. græca ad Carl. Lancilotum.

« *THEOPHRASTI* De Igne lib. — Adr. Turnebo interprete. Ejusdem in eumdem adnotatiunculæ. — M.D.L.III. — A. T. « « Excudebat Adr. Turnebus Lutetiæ Paris. M.DLIII. pridie cal. Januar. » (in-4°).

Steph. Poncerio Adr. Turn.

1554

« *DE AGRORUM conditionibus et constitutionibus limitum.* Siculi Flacci lib. I. — Julii Frontini lib. I. — Aggeni Vrbici lib. II. — Hygeni Gromatici lib. II. — Variorum auctorum ordines finitionum... Omnia figuris illustrata. — M.D.L.IIII. — A. T. » (in-4°).

Hanc editionem P. Gallandius cum præcipue curavisset, Cardinali Lotharingo, epistola præfixa, dicavit ; v. f° 2. « Parisiis, e gymnasio nostro Becodiano. X. cal. decembr. »

« ΑΡΕΤΑΙΟΥ ΚΑΠΠΑΔΟΚΟΥ. — Aretæi Cappadocis. De acutorum ac diuturnorum morborum causis et signis, lib. IV. De acutorum, ac diuturnorum morborum curatione, lib IV. — Ex bibliotheca regia. — M.D.LIIII. — A. T. » (in-16).

Cum epistola graece præscripta : « Ὀδωνι Καστιλλιωνίῳ Καρδινάλει Ἰάκωβος Γούπυλος ἰατρὸς εὖ πράττειν. »

« ΕΡΜΟΥ ΤΟΥ ΤΡΙΣΜΕΓΙΣΤΟΥ. — Mercurii Trismegisti Pœmander, seu de potestate ac sapientia divina. — Æsculapii definitiones ad Ammonem regem. — M.D. LIIII. — A. T. » (in-4°).

Cui libro epistola græce conjuncta est ad Carlum Lancilotum ab Angelo Vergetio missa, de Mercurii Trismegisti vita et operibus. — In eodem volumine Marsilii Ficini interpretatio legitur, a G. Morelio, eodem anno, excusa (sine altero titulo).

« ΟΜΗΡΟΥ ΙΛΙΑΣ Homeri Ilias Id est, de rebus ad Troiam gestis. — M.D.LIIII. — A. T. »

« *PHILONIS JUDÆI* De Vita Mosis. lib. III. Adr. Turnebo interprete. M.D.LIIII. — A. T. » (latina tantum ; in-8°).

Odoni Castilioneo Adr. Turn.

« ΡΟΥΦΟΥ ΕΦΕΣΙΟΥ. — Ruffi Ephesii De vesica renumque morbis. De purgantibus medicamentis. De partibus corporis humani. *Sorani* de utero et muliebri pudendo. — Ex biblioth. regia. — M.D.LIIII. — A. T. (in-12 ; græce).

« *ADR. TURNEBI APOLOGIA* adversus quorundam calumnias, ad librum primum Ciceronis de Legibus. — M.D.LIIII. — A. T. » (in-4°).

Lanciloto Carlo Adr. Turn.

1555

« ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ ΗΘΙΚΩΝ ΝΙΚΟΜΑΧΕΙΩΝ ΒΙΒΛΙΑ ΔΕΚΑ. — Aristotelis De moribus ad Nicomachum, lib. X. — Ita Græcis interpretatione recenti cum Latinis conjunctis, ut ferme singula singulis respondeant, in eorum gratiam qui Græca cum Latinis comparare volunt. — 1555. — A. T. » (in-f°).

In ultima pagina legitur : « Excudebat, et cum græcis latina conjungebat Guil. Morelius » qui et « lectori » admonitionem de talis conjunctionis utilitate scripsisse mihi videtur.

« ΚΛΗΜΕΝΤΟΣ ΕΠΙΣΚΟΠΟΥ. Clementis Romani episcopi, de rebus gestis, peregrinationibus, atque concionibus sancti Petri epitome, ad Jacobum Hierosolymorum episcopum. — Ejusdem Clementis vita. — M.D. LV. — A. T. » (in-4°).

Græca tantum Turnebus edidit : latina autem eodem anno, Joach. Perionio interprete, et ad eumdem Nicol. Mallarium dicata, « apud Guil. Morelium » pervulgata sunt.

« *LOCUS IN QUO TRACTANTUR JOCI* libr. II. De oratore, Ab Adr. Turnebo explicatus. — M.D.LV. — G. M. » (in-4°). — Editio secunda « Lutetiæ, apud Fed. Morellum » 1594, in-8°.

P. Danesio Adr. Turn.

« ΟΠΠΙΑΝΟΥ ΑΝΑΖΑΡΒΕΩΣ. — Oppiani Anazarbei De piscatu libri V. — De Venatione libri III. — M.D.LV. — A. T. » (in-4° ; græce).

In extrema pagina « Lectori » nonnulla Turnebus addidit : « Septem abhinc annis leviter emendaveram Oppianum de Venat. Eas emendationes quidam usurpavit, et sibi donavit », quem Bodinum fuisse constat.

« *Oppiani Anazarbei* De piscatu libri V Laurentio Lippio interprete. — De Venatione libri IIII. ita conversi, ut singula verba singulis respondeant. In eorum gratiam qui græca cum Latinis conjungere volunt. — M.D.LV. — G. M. » (in-4°).

De Venatione libros latinis versibus Turnebus interpretatus est : v. *Opera*, t. II, p. 150.

1556

« *C. PLINII SECUNDI VERONENSIS* in XXXVI libros Naturalis historiæ Præfatio, ad veterum codicum fidem per Adrianum Turnebum emendata, et annotationibus illustrata. — Lutetiæ, Ex officina Mich. Vascosani. — M.DLVI. » (in-4°).

G. Pellicerio Adr. Turn. — V. *Opera* (I. 396) : « In eandem Plinii præfat. Leodegarii racematio », — Nicolao Psaulmæo dicata.

« *PLUTARCHI CHÆRONEI* De oraculorum defectu liber, ab Adriano Turnebo latinitate donatus, et annotationibus quibusdam illustratus. — Lutetiæ, ex officina Mich. Vascosani. — M.D.L.VI. » (in-4° latine).

« *THEOPHRASTI* libellus de odoribus, ab Adriano Turnebo latinitate donatus, et scholiis atque annotationibus illustratus. — Lutetiæ. — Apud Michaëlem Vascosanum. — M.D.LVI. » (in-4° ; 32 f°).

Margaritæ Valesiæ Adr. Turn. Sequuntur sine titulo verba græca : Θεοφράστου περὶ ὀσμῶν. 10 f°.

« *ADR. TURNEBI DISPUTATIO* ad lib. Ciceronis de fato, adversus quemdam qui non solum Logicus esse, verum etiam Dialecticus haberi vult. — Lutetiæ, apud Mich. Vascosanum. M.D.LVI. » (in-4°).

Carlo Lanciloto Adr. Turn. »

« *LEODEGARII A QUERCU* responsio ad Audomari Talæi admonitionem. Lutetiæ. Ex officina Mich. Vascosani. M.D.LVI. » (in-4°).

In libro Adr. Turnebi ad Carlum Lancilotum epistola græca inserta est. — Cf : « Audomari Talæi admonitio ad Adr. Turnebum. M.D.L.VI. Apud Andr. Wechelum. »

1558

« ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΤΟΥ ΠΕΠΑΓΟΜΕΝΟΥ. — Demetrii Pepagomeni liber de podagra, quem ab eo petivit Imperator Michael Palæologus. — M. D.L.VIII. — G. M. » (in-8° ; græce). — Cui volumini addita sunt latina : « *Demetrii Pepagomeni* liber de podagra, et id genus morbis. Ad imper. Mich. Pal. — M.D.L.VIII. — G. M. » (in-8°).

Græca in latinum convertisse Turnebum Argentoracensis editio nos admonuit (t. II, p. 138) ; jamque significaverat in sua præfatione Morelius.

1561

« *ADRIANI TURNEBI* oratio habita cum philosophiam profiteri cœpit. »

Quam quidem haud ante annum 1600, (v. *Opera* t. III, p. 41) typis mandatam esse audivi. V. supra, p. 19.

1564

« *D. CÆCILII CYPRIANI* episcopi Carthaginiensis, Martyris Christi Opera. Gul. Morellii Typographi Regii diligentia ac labore. — Cum indice rerum locupletissimo, et observationibus. — Parisiis, M.D.LXIIII. — Apud Guliel. Desbois, sub sole aureo, via Jacobæa. — Cum Privilegio Regis. »

F° 2 : « Carolo Maximiliano Valesio Francorum Regi Christianis. Adrianus Turnebus. S. P. D. »

« *ADRIANI TURNEBI* Regii Philosophiæ græcæ Professoris *Adversariorum* Tomus primus duodecim libros continens. Cum indice copiosissimo. — Ad Clariss. et Ampliss. virum Mich. Hospitalem Franciæ Cancellarium. — Parisiis, Ex officina Gabriëlis Buonii, in clauso Brunello, sub signo D. Claudii. — 1564. — Cum privil. regis. » (in-4°).

1565

« *ADRIANI TURNEBI Adversariorum*, tomus secundus duodecim libros continens. Cum indice copiosissimo. —

Ad C. V. Erricum Memmium supplicum libellorum in regia magistrum. — Parisiis, Ex officina Gabr. Buonii. — 1565. » (in-4°).

1566

« *PLUTARCHI* De fato. — Ejusdem Convivium septem sapientum. » (latine).

Quem libellum ab Odone Turnebo, anno 1566, editum nusquam reperi. — V. *Opera*, t. II, p. 48 : « Odo Turnebus candido lectori... Lutetiæ Paris. ex schola Lexobæa Calendis Aprilis. 1566. »

« *ADRIANI TURNEBI* Commentarii et Emendationes in libros M. Varronis De lingua Latina. — Parisiis, apud Gabr. Buon. 1566. »

Odo Turnebus ad Mich. Hospitalem.

1573

« *ADRIANI TURNEBI* Philosophiæ et Græcarum literarum Regii Professoris *Adversariorum* Tomus tertius, libros sex continens. — Additi sunt indices duo, unus locorum qui in auctoribus explicantur, aut emendantur, alter rerum et verborum. — Ad Christophorum Tuthæum, Senatus Parisiensis Praesidem primum. — Parisiis, apud Martinum Juvenem, ad insigne Serpentis. — M.D.LXXIII » (in-f°).

« Christ. Tuthæo Adr. Turnebus fil(ius) S. P. D. » V. Privilegium Martino Juniori 15 die febr. mens. anno 1571 datum.

1576

« *ADRIANI TURNEBI* Commentarii in M. T. Ciceronis Orationes tres de lege Agraria, contra P. Servilium Rullum Tribunum plebis. — Apud Joannem Bene natum, Parisiis M.D.LXXVI. » (in-4°).

« Stephano Paschasio Otho Turnebus. Lut. a. III. Non. april. »

1577

« *ADRIANI TURNEBI* philosophiæ et græcarum literarum regii professoris, *commentarius in librum primum carminum Horatii*. — Ejusdem Adr. Turnebi commentarius *in locos obscuriores Horatii*, ex ejus Adversariorum libris excerptus. — *M. Antonii Mureti* et *Ald. Manutii* in eundem Horatium annotat. Parisiis apud Martinum Juvenem. 1577, » (in-8°).

Odo Turnebus lectori.

1578

« *THEOPHRASTI* De lapidibus liber, ab Adriano Turnebo Latinitate donatus. Lutetiæ. Ex officina Fed. Morelli typ. Regii. M.D.LXXVIII. » (in-4°).

Cujus Theophrasti librum anno 1577 Fed. Morellus græce typis regiis edidit.

1580

« *ADRIANI TURNEBI* Philosophiæ, et Græcarum literarum Regii Professoris, *Adversariorum libri triginta, in tres tomos divisi.* — Ascripti sunt in margine auctorum loci qui in his sine certa nota appellantur studio et labore IO. Furdini conquisiti. — Additi indices tres copiosissimi ab eodem Furdino collecti : unus est rerum et verborum Latinorum, alter Græcorum, tertius designat locos auctorum qui explicantur aut emendantur. Tomus Primus. — Ad Mich. Hospitalem. Parisiis. Apud Martinum Juvenem. M.D.LXXX. » (in-f°).

In eodem volumine cum suis titulis tomus secundus et tertius continentur; illi quidem annus M.D.LXXX positus est; huic annus M.D.LXXIII. [vide supra]. [*Arsenal* : 18492. B. L. — Idem in *Bibl. Sorbon.*; et *Mazar.*].

Adversaria etiam edita sunt Basileæ a. 1581, apud Guarinum, in-f°; Argentorati, apud Zetznerum, 1599. in-f°. Aureliopoli, apud P. Quercetanum 1604; in-4°.

1600

« *ARISTOTELIS* libellus de his quæ auditu percipiuntur, Adriano Turnebo interprete. Parisiis. Apud Claud. Morellum (ad insigne Fontis) M.D.C. » (in-8°).

« *ADRIANI TURNEBI* de Calore libellus. Nunc primum editus in lucem. Parisiis, apud Claudium Morellum. M.DC. » (in-8°).

« *ADRIANI TURNEBI* de Methodo libellus. Nunc primum prodit in lucem. Parisiis. — Apud Claudium Morellum. — M.D.C. » (in-8°).

« *ADRIANI TURNEBI* De Vino libellus. Nunc primum prodit in lucem. Parisis. Apud Claudium Morellum. — M.D.C. » (in-8°).

Bibl. Maz.

Aliquot etiam Adriani Turnebi annotationes aut commentarii, ex ejusdem *Adversariis* pleraque decerpta in nonnullos libros inserta sunt, quos *Niceron* enumeravit. At isti Turnebianis editionibus nihil novi attulerunt. Unum tantum librum addam cujus vel minimam partem habuisse Turnebo laudi fuit :

Lucretii illam editionem a Lambino datam, anno 1565 (in-16) : « accesserunt aliquot ab Adr. Turnebo emendationes ».

Admirandum est « Plutarchi libellum de fluviorum et montium nominibus... » in *Operum* editione Argentoracensi positum esse, cum hac mentione « E græco in latinum ab Adriano Turnebo conversus ». Namque hunc libellum, latine versum, Angelus Vergetius ipse anno 1556 edidit et « Claudio Lavallo Archiepiscopo Ebredennensi » dicavit, missa epistola quæ Turnebi nomen omnino tacuit. Auctore vero E. Legrand (*Bibliographie hellénique*, p. 179), existimo hoc opus Angelo Vergetio reddendum esse. (cf. Turnebi *Opera*, t. II, 97.)

Neque rectius Adr. Turnebi nomen Thomas Brumenius in Quintilianum quibusdam commentariis adscripsit (Parisiis 1586, in-4°; *Bibl. Mazar.*). Nihil vero ipse Brumenius protulit, nisi quod antea editum erat : « Parisiis; apud Thomam Richardum. 1554 (*Bibl. Nat.*, Invent. X, 3, 132) Adde quod in præfatione Richardi nullius scriptoris nomen relatum est.

Denique, ea quæ latine aut græce interpretata in Adr. Turnebi chartis filii ejusdem invenerant, in Argentoracensi Operum editione reperies; quibus hæc

addenda sunt quæ manu scripta in Bibliothecæ Gallicæ (*Bibl. Nat.*) voluminibus jacent : (*ms. lat.* 17890 et 13042) quæ quidem grammaticum spectantia in alio opere describenda erunt.

Huc tantum referam notas aliquot ipsius Turnebi manu scriptas. (*Collect. Dupuy*; vol. 249; f° 36). Quæ quidem mihi perlegenti admirationem injecerunt, cum ad gallicam linguam pertinerent. Hic enim nonnullorum vernaculi sui sermonis vocabulorum originem vel « etymologiam » Turnebus inquisivit; sæpius autem in illius ætatis errores ipse cecidit, dum ex « *patronus* : *baron*, littera *P* mutata in *B* » derivat; at interdum voces quasdam melius explicuit : « *forest*, pour ce qu'elle est hors de : *foris*. Car elle est hors des habitations. » Id etiam animadvertendum est Turnebum nunquam ad Græcam linguam recurrisse ut gallica verba enodaret; cujus ab exemplo quam longe Perion et Henricus Stephanus aberraverint, alias ostendimus.

II

Poemata

« *Adr. Turnebi* Philosophiæ et Græcarum literarum professoris Regii *Poëmata.* — Ad Achillem Harlæum Senatus Parisiensis Præsidem. Parisiis, apud Martinum Juvenem. 1580. [Privilegium anno 1571 datum est] 127 pag.

Quæ vero carmina ab ipso Adriano Turnebo edita sunt, dubito num illa omnia ad nostram ætatem pervenerint; quæ sequuntur, in nostra Gallica Bibliotheca (*Bibl. Nat.*), reperi :

« Panegyricus || Adriani Turnebi || De Calisio capto. || Parisiis, || apud Viduam P. Attaignant, ad ædem D. || Cosmæ in vico Citharæ. || 1558. » In-16.

« De Nova || captandæ utili || tatis e literis || ratione || epistola, || ad Leoquernum. || Parisiis || apud viduam P. Attaignant, etc. || 1559. » In-16.

« Contra || Grunii epistolam || , cum purgatione cujusdam || qui eam fecisse falso || insimulatus est. || Parisiis || Apud viduam P. Attaignant. etc. || 1559. » In-16.

« Epithalamium Francisci Va- || lesii, illustriss. Fran- || ciæ Delphini et Mariæ Stuartæ, sere- || niss. Scotorum Reginæ, || Adr. Turnebi auctore || Parisiis 1558 || apud Guil. Morelium, in græcis ty- || pographum Regium. »

« Francisci Duareni Jurisconsultorum hujus memoriæ facile principis hoc funebre carmen Adr. Turnebus mœstiss. canebat, 1559. » — « Ad C L. Virum Michaelem Hospitalem, supremum præsidem rationum regiarum » — « C. L. V. Francisco Olivario Franciæ Cancellario ».

Quæ carmina quattuor in eodem volumine reperies. *Invent.* Y. C. 8711. 8714, in-16.

« Ad || Clariss. || Virum || D. Michaëlem Hospitalem || Franciæ Cancellarium || Adriani Turnebi || Epistola || Parisiis, || apud Federicum Morellum, in vico Bel- || lovaco, ad urbanam Morum || 1560. » In-16.

Quæ carmina cum Bellaii laudatione a Turnebo facta huic libro Leodegarius à Quercu inseruit :

« *Farrago poematum* ex optimis quibusque et antiquioribus, et ætatis nostræ poetis selecta, per Leod. à Quercu... Parisiis, apud Ægidium Gorbinum ; 1560. » Vide f° 113 ad 350.

Epinicion autem « Ergo pedem tectis jam tandem lætus opacis Effero. » cum duobus distichis ad Henricum II « Frondet oliva tibi... » et « Henrico debes Maro... », quæ inter Leodegarii versus posita sunt, Adr. Turnebo Poematum editio immerito dedit (*Farrago*. f. 385-386. — Cf. *Turnebi poemata* (1580, p. 106 et 108). Eadem jam anno 1558 seorsum cum Leodegarii nomine apud V. Attaignant prodierant, in-4°. [*Bibl. mazar.* 14, 743 ; p. 287 et sq.].

Basiliensis editio : « Basileæ Rauracorum, apud Thomam Guarinum Nervium » volumen editum, « anno 1568, Kal. januar. » ut tertiæ partis pagina tertia docet.

Tres enim partes continet : 1° Georgii Buchanani poemata, p. 1 ad 319. — 2° Adr. Tornebi, p. 1 ad 62 ; Mich. Hospitalis, p. 63 ad 117 poematum silva ; Joan. Aurati poematia, p. 119 ad 176. — 3° Caroli Utenhovii Xenia seu... Allusionum liber primus, p. 1 ad 146. — Totam editionem ab Utenhovio ipso curatam esse cum aliis indiciis hæc nota demonstrat « Non tam errata quam variæ lectiones, emendationes exemplaris depravatissimi, è conjecturis C. V. qui excusum pervolitavit. » [In secunda parte Buchanani carmen de Caleto recepta inter Adriani versus stolide positum invenies].

Turnebi denique poemata continent « *Deliciæ poetarum Gallorum* » edente Gruter, anno 1609 ; et Adr. Turn. operum Argentorac. editio (vide supra).

ALIORUM LIBRORUM INDEX

BECKER (H.). *Un humaniste au XVIe siècle. Loys Le Roy.* — 1896 (in-8°).

BIBL. SORB. VOLUMEN : *vide* : « *Turnebi tumulus* ».

BLANCHARD : *Éloges des premiers Présidents* du Parlement de Paris. — *Les Présidents au mortier*, et catalogue de tous les conseillers au Parlement. — Paris, 1647, 2 vol. in-4°.

BONNEFON (PAUL). *Pierre de Paschal, historiographe du roi (1552-1565)* ; étude biographique et littéraire suivie de fragments inédits de ses histoires. (Paris, Techner ; Bordeaux, P. Chollet, 1883, in-4°).

BUCHANANUS. — Vide in priore indice « *Basiliensis editio* ».

BULÆUS (DU BOULAY). *Historia Universitatis Parisiensis.* — Paris, 1665-1673, 6 vol. in-f° (t. VI, ab 1500 ad a. 1600).

DEJOB (CHARLES). *Marc-Antoine Muret*, Paris, 1881.

DOUARCHE (A.). *L'Université de Paris et les Jésuites.* Paris, 1888.

DUÆRENUS (FRANCISCUS). « *Adr. Turnebi et Joannis Aurati et doctorum aliquot aliorum virorum epitaphia in Fr. Duær. jurisconsult. hujus memoriæ facile principem.* Parisiis. Apud Fed. Morellum, 1559 », in-4°. (*Bibl. Sorb.*).

DU BELLAY. « *Joachimi Bellaii Andini pœtæ Xenia, seu Illustrium quorundam Nominum allusiones.* His accessit Elegia ad Janum Morellum Ebredun. Pyladem suum. Parisiis apud Fed. Morellum, 1569. » — « *Poematum Libri quatuor* quibus continentur *Elegiæ, Amores, Varia Epigrammata, Tumuli* ; Parisiis, apud Fed. Morellum, 1558 » (in-4°).

Œuvres françaises, édit. Marty-Lav. 2 vol. (*Pléiade française* ; in-8°).

EGGER (E.). *L'hellénisme en France.* Paris, 1869 (2 vol. in-8°).

FOURNIER (É.). *Variétés historiques et littéraires* (*Bibl. Elzévir.* 10 vol. in-16).

FRANCE PROTESTANTE. 1e édit. par Haag ; 10 vol. in-8° (v. *Turnèbe*).

FRÉMY (ED.). *La vie publique et privée de Henri de Mesmes et ses Mémoires inédits* (Paris, Leroux).

GALLAND (PIERRE) « *Petri Castellani vita auctore P. Gallandio.* — Steph. Baluzius primum edidit et notis illustravit. Paris. Fr. Muguet, 1674, in-8° ».

GOUJET (ABBÉ). *Collège Royal*, id est : « Mémoire historique et littéraire sur le Collège Royal de France. Paris, 1758. » [3 tomes in-12].

GOULU (JEAN). « *Lettres de Phyllarque à Ariste*, où il est traicté de l'Éloquence françoise » Paris. Nic. Buon. 1628 in-8°.

V. p. 288. « L'histoire de Pierre Paschal tirée du IXe livre des Lettres de feu Monsieur Pasquier » et p. 297 : « paraphrase de la lettre latine de M. Adrian de Tournebu intitulée : *Ego tibi...* » Quæ quidem frigida interpretatio nihil me docuit.

GUILLEMIN. *Le cardinal de Lorraine ; son influence politique et religieuse au XVIe siècle.* Paris. 1847 (in-8°).

HOSPITAL (MICHEL DE L'). « *Epistolarum seu sermonum libri sex.* Lutetiæ. Apud Mamert. Patissonium typ. regium, in officina Rob. Stephani. 1585. »

Quorum carminum nonnulla Fed. Morellus prius edidit (v. *Bibl. mazar.*, n° 10.684).

JOURDAIN. *Index chronologicus chartarum Parisiens. Universit.* in-fol.

LA CAILLE (JEAN DE). *Histoire de l'imprimerie et de la librairie.* Paris, 1789 ; in-4°.

LACROIX DU MAINE ET A. DU VERDIER (*Bibliothèque de*). — Édit. Rigoley de Juvigny, 1772.

De Turnebo, v. La Croix, t. I, p. 9. — Du Verdier, t. I, p. 26.

LAMBINUS (DIONYSIUS) : V. *Trium virorum præfat. et epistolæ.*

Plerasque Lambini Orationes, apud Andr. Wechelum editas et in unum volumen collectas vide in *Bibl. nat.*, *Invent. Rés.*, X, 1, 246, et *Bibl. mazar.*, 10, 314. Quibus *Ciceronis* (1566 ; in-f°, 4 vol.), *Lucretii* (1563, in-4° ; 1566, in-16), *Horatii* (1570 et 1579, in-f°) operibus epistolæ præfixæ addendæ sunt.

LEFRANC (ABEL). *Histoire du Collège de France.* Paris. 1893.

LEGAY : *Adrien Tournebus, Lecteur Royal.* Caen, 1877 (in-8°, 51 pages).

LEGRAND (ÉMILE). « *Bibliographie hellénique* ou description raisonnée des ouvrages publiés en grec par des Grecs aux XVe et XVIe siècles ». — Paris, 2 vol. in-4.

LELONG. *Bibliothèque historique de la France*, édit. Fevret de Fontette. — Paris, 1768. 5 vol. in-f°.

LEODEGARIUS A QUERCU. « *Prælectionum et poematum liber.* Parisiis, apud Thomam Richardum, 1549 ». — « *Flores epigrammatum, ex optimis quibusque authoribus excerpti* ; tomus primus ; Parisiis apud Hieronynum de Marnef. 1560. » — « *Farrago poematum ex optimis quibusque et antiquioribus et ætatis*

nostræ poetis selecta; tomus secundus; Parisiis, apud Ægidium Gorbinum, 1560 ».

Ejusdem : « *In Adr. Turnebi obitum*. Parisiis, 1565, apud Fed. Morellum », in-4°. « *In teterrimum Adr. Turnebi catarrhum prosopopœia*, apud viduam Attaigant », in-4° (sine loco annoque).

« Oratio habita Lutetiæ anno 1561 », v° supra, p. 19, n. 3.

Maittaire (Michel). *Historia typographorum aliquot Parisiensium vitas et libros complectens*. Londini, 1717, in-4°.

Annales typographici (5 vol. in-4°).

(V. t. III, p. 429, de G. Morellio; t. III, p. 433, de Adr. Turnebo.)

Stephanorum historia, Londini, 1709 (in-8).

Marty-Laveaux. *La Pléiade française*. Paris, Lemerre, 18 vol. in-8 et *Appendice*, 2 vol. in-8°.

Ménage. « *Vitæ Petri Ærodii et Guil. Menagii scriptore Ægidio Menagio.* » Paris, Chr. Journel, 1675, in-4°.

Nicéron. *Mémoires pour servir à l'histoire des hommes illustres dans la république des lettres*. Paris, 1738, 39 vol.

[V. in vol. XXXIX, p. 334 et sq. de Adr. Turn. vita et operibus].

Nolhac (Pierre de). *La bibliothèque d'un humaniste au XVIe s.* (*M. Ant. Muret*); Rome, 1883, in-8°.

Nouvelle biographie générale. *Höfer*. Paris, Didot, 1872.

Paschal (Pierre de). « *Petri Paschalii adversus Joannis Maulii parricida Actio*, in Senatu Veneto recitata. Ejusdem Gallia, per prosopopœiam inducta ad Venetam Remp. — Oratio de Legibus, Romæ habita, cum Juris insignia carperet. *Epistolæ in Italica peregrinatione exaratæ.* » Apud Seb. Gryphium, Lugduni, 1548. (*Bibl. nat.* et *Bibl. Mazar.*)

Qui libellus a Petro Maulio Durbano gallice versus, anno 1549, editus est (*Bibl. Nat.*, X., 3256.)

« *Henrici II Galliarum regis Elogium* cum ejus verissime expressa effigie, Petro Paschalio auctore. Ejusdem Henrici tumulus autore eodem. — Lutetiæ Parisiorum, apud Vascosanum, 1560, cum privilegio. » In eodem volumine : « *Eloge de Henry II...*, fait en latin par Pierre de Paschal, et traduit en françois par Lancelot de Carle, Evesque de Riez, par commandement de la Roine mere du Roy ».

Pasquier (Estienne). *Les Recherches de la France*. Paris, 1643, in-f°. Cf. édit. d'Amsterdam, 1723. 2 vol. in-f° (*Œuvres complètes*).

Lettres de Pasquier. Paris, 1619. Petit-Pas, 2 vol. in-12; *Œuvres melées, poésies*, 1 vol. in-12 (*ibid.*).

Pichon (baron Jérome) et Georges Vicaire. *Documents pour servir à l'histoire des libraires de Paris* (1486-1600). Paris, Techener, 1895 (in-8).

Quicherat (J.). *Histoire du collège Sainte-Barbe*. Paris, 1860-64. 3 vol. in-8°.

Ramus (Petrus). *Petri Rami et Audomari Talæi collectaneæ præfationes, epistolæ, orationes*. Parisiis apud Dionysium Vallensem, 1577, in-12.

Rebitté. *Guill. Budé, restaurateur des études grecques en France*. Paris, 1846.

Ronsard. *Œuvres complètes*, édit. par Pr. Blanchemain. Paris, Jannet (*Bibl. elzévir.*) 8 vol. Cf. l'édit. de Marty-Lav. dans la *Pléiade française*.

Sainte-Marthe (Scévole de). *Gallorum doctrina illustrium qui nostra patrumque memoria floruerunt, Elogia*. Lutetiæ, 1630, In-4°.

Seelen (Io. Henr. a). « *Selectorum litterar. Specimen* VIII. exhibens disquisitionem *de religione Adr. Turnebi*. Quod memorabile litterarium orationi gymnasticæ præmisit... » Lubecæ, 1722, 16 p. in-4°.

Teissier (Antoine). — *Les Éloges des Hommes savants tirez de l'Histoire de M. de Thou avec des additions, etc.* Genève. 1683. 2 t. in-12.

Thuanus (J. Aug.) *Historiarum sui temporis... tomi septem*. Londres, 1733. 7 vol. in-f°.

« Trium disertissimorum virorum *præfationes ac epistolæ familiares aliquot : Mureti, Lambini et Regii.* » 1579. Lutetiæ, apud Jean de Heuqueville, in-16.

Turnebi (Adriani) tumulus. « *a Jo. Aurato, Dion. Lambino ejus collegis, P. Ronsardo, Germ. Val. Pimpuntio. Jo. Passeratio, Alph. Elbenæo, Nic. Vergetio e græco, lat., gall. carminibus excitatus. XIII. Kal. Quinct. anno 1565.* apud Federicum Morellum ». (In-4°; *Bibl. Mazar.* 18771; f° 244).

Quæ carmina in Argent. editione leges, III. 104 et sq. — Alia quæ retuli ab aliis de Turnebo scripta, Sorbonæ bibliotheca in quodam volumine collecta habet [u. 149.] cujus titulus est : *Adr. Turn. tumulus*; hæc autem « Parisiis || Ex typographia Thomæ Richardi, sub Bibliis aureis, è regione Collegii Rhemensis. 1565, » inscripta sunt.

« *Epistola quæ vere exponit obitum Adr. Turnebi; adjecta sunt epitaphia in eundem*. Parisiis, 1565. »

In-4°, 243 ff. In-f° 243, minoribus litteris impresso, verbum « *Fin* » positum est. — V. Supra, p. 107, n° 2. — *Bibl. Mazar.*, C, 18771, f° 226.

Utenhovius (Carolus). Vide in priore indice « *Basiliensis editio* ».

Waddington (Ch.). « *Ramus, sa vie, ses écrits et ses opinions* ». Paris, 1855. De Turnebo v. ab eodem : *Bulletin de la Société de l'Histoire du Protestantisme français.* » 3e année, 1855, p. 665 et sq. »

NOMINUM PROPRIORUM INDEX

I

Scriptorum antiquorum nomina

II

Recentiorum nomina ad vernaculam appellationem rursus translata.

In eodem indice nonnulla de quibusdam sive minus notis, sive plane ignobilibus, gallice addita sunt; nobilissimorum vero nomina et vitam summatim enarratam apud Goujet (*Coll. Royal*) aut Teissier (*Eloges*) reperies.

INDEX RERUM

VIDI AC PERLEGI
Lutetiæ Parisiorum in Sorbona,
a. d. V. nonas Jan. MDCCCXCIX.
Facultatis Litterarum in Universitate Parisiensi decanus,
ALFRED CROISET

TYPIS MANDETUR.
Academiæ Parisiensis Rector
GRÉARD

MACON, PROTAT FRÈRES, IMPRIMEURS

ERRATA ET ADDENDA

P. 54, n. 2, lin. 2, lege : quæ disticha...

P. 89, in summario, lege : 1559-1565.

P. 112, n. 5, adde : *Nicolas Durand* (v. nominum indicem).

P. 114, n. 7, cf. dialogum qui *Pseudo-Cicero* inscriptus est, ubi Turnebi Adversaria H. Stephanus laudavit (1577 ; p. 19, 55, 85).

P. 133 : Sophoclis tragædiis editis annus 1552 in titulo adscriptus est ; qui vero liber « excudebatur IX cal. jan. M.D.L.II », anno 1553 (pro nostra numerandi ratione) in lucem tantum prodiit.

P. 143 (in nominum indice) adde : *Bene Natus*, Jean Bienné, 127, 128, 135.

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
0021140910

878.T85
DC
CLEMENT